DE RESPONSIONIBVS DIVERBII APVD AESCHYLVM

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QVAM

SVMMORVM IN PHILOSOPHIA HONORVM

AVCTORITATE AMPLISSVMI PHILOSOPHORVM ORDINIS

IN VNIVERSITATE FRIDERICA GVILELMA BEROLINENSI

RITE OBTINENDORVM CAVSA

VNA CVM SENTENTIIS CONTROVERSIS

DIE XX MENSIS OCTOBRIS ANNI CIƆIƆCCCLXII

H. XII

PVBLICE DEFENDET AVCTOR

ERNESTVS MARTIN

IENENSIS

ADVERSARIORVM PARTES SVSCIPIENT

FRANCISCVS EYSSENHARDT PHIL. DR.
BERNHARDVS FOSS PHIL. DR.
OTTO KORN SEM. PHIL. BONN. SEN.

BEROLINI

TYPIS EXPRESSIT GVSTAVVS LANGE.

AVGVSTO BOECKHIO

SACRVM

Drama Graecum ex canticis choricis Baccho sacris, quae ei originem dederunt partem prorsus lyricam retinuit, carmina chori, quae et argumentum lyricum, cogitationes sensusque et formam lyricam, metrum motu vario cantationi saltationique idoneum exhibent. Sed ne orationes quidem actorum singulorumque choreutarum, quae actionem continent plane carent partibus lyricis. Nam plerumque quidem metrum ob maiorem libertatem et simplicitatem actioni aptissimum ideoque ab Aristotele A. P. XXIV, 10 πρακτικὸν vocatum trimetrorum iambicorum servant, quorum in locum nonnumquam citatiores tetrametri trochaici succedunt; interdum tamen admiscentur quae propius ad carmina accedunt vel potius medium quendam inter illa et orationes locum obtinent, systemata anapaestica; quin etiam vel chori cantica minoris ambitus argumentoque fabulae propius adiuncta intericiuntur vel histrionum partes ad ipsos carminum spiritus assurgunt; quae carmina sive chori sive actorum interdum etiam cum sermonibus carminibusve alterius partis implicantur.

Verum praeter varios gradus, quibus oratio diverbii in carmina transit, aliquotiens vel in ipsis sermonibus similitudo quaedam poesis lyricae apparere videtur: ut quemadmodum carmina eisdem metrorum formis recurrentibus in strophas inter se oppositas dividantur, ita *partes iambicae et trochaicae atque systemata anapaestica ex periodis aequo numero versuum comprehensis constent*, quae inter se respondeant. Quibus vero finibus haec aequabilitas se contineat, ambigitur, ut operae pretium esse videatur, diligentius

de re ad artem poetarum intellegendam aeque atque ad opera emendanda gravissima inquirere. Quam quaestionem equidem tractabo, quatenus ad *Aeschylum* pertinet, poetam prae ceteris tragicis suspitionem diverbii lyricis rationibus componendi moventem, quippe qui et copia carminum artificiosioreque ordine stropharum maxime excellat et carminibus inter orationes inserendis a severiore tragoediae forma, qualis per Sophoclem obtinuit aliquantum abhorreat; quo accedit quod simplicitas argumenti immobilisque colloquii progressus, quem in illo invenias, si cum posterioribus poetis compares, artificiosiore forma compensatus, quin etiam effectus esse videri possit. Etenim iam fuere qui illam diverbii aequabilitatem Aeschyleam vel in universum vel singulis locis expromtis illustrarent, atque ex his quidem Heilandius laudandus est, qui in programmate Stendalensi a. 1855 exempla copiosissima, plura tamen ex Sophocle et Euripide petita breviter indicavit; novissimis autem temporibus extitit qui totum diverbium Aeschyli rationibus numerorum aequabilibus vindicaret H. Weilius, cum in aliquot dissertationibus (Jahrbücher für Philol. und Pädag. Jahrg. 1859 Bd. 79; in libello 'de la composition symetrique du dialogue dans les tragédies d'Eschyle', repetito ex 'Journal général de l'instruction publique'; deinde a Keckio Jahrb. Jg. 1860 Bd. 81 reprehensus, ibidem Jg. 1861 Bd. 83), tum in editione Oresteae. Quorum virorum inventa doctrinasque suo quamque loco vel assentiens vel ubi displicuerint causis arguens afferam. Utar autem editione Hermanniana.

Iam primum quaeritur, *quibusnam rationibus diverbium dividatur*, ut partes nascantur, quae inter se opponi possint. Quam partitionem fortasse erit qui externis quibusdam causis effectam existimet: *instrumentorum sonos motusque actorum* dico, qui certis intervallis repetiti corpora versuum aequalia notare potuerint. Scimus enim ex Luciano, de salt. c. XXVII, interdum trimetros cantatos esse, et ex Plutarcho de mus. c. XXVIII, tragicos id ab Archilocho recepisse, ut

alii trimetri canerentur, alii recitarentur ad pulsationem instrumentorum. Quinam vero versus ex tragoediis nobis servatis cantati, quinam ad pulsationem recitati sint, confitendum est nos nescire, quin ne id quidem constare, annon aliqua pars trimetrorum sine cantu et sine instrumentis recitati sint. Imo Hermannus quidem in commentario ad Aristotelis Artem Poeticam XII, 7, p. 138 ab Archilocho id inventum esse statuit, ut trimetri in eodem loco ad pulsationem alternis vicibus canerentur et recitarentur; itaque etiam in tragoediis trimetros quosdam cantatos esse, quos qui sequerentur vel praeirent, ad pulsationem non intermittentem sint recitati. Cui definitioni cantum pulsationemque paucis tantum locis et iis potissimum qui trimetros cum carminibus coniungant concedenti etsi Boeckhius (Fr. v. Raumer's Antiquarische Briefe p. 47) non plane accedit, tamen eas tantum diverbii partes, quibus singularis contentio insit sonis adstrepentibus recitatos esse censet. Et profecto quis credet cantum vel sonos instrumentorum accessisse iis locis, qui actionem celerrimam contineant, velut in Choephoris, ubi servus regis mortem nuntiet, vel iis Agamemnonis Choephororumque partibus, quae mores hominum humiliorum ut custodis et nutricis vitamve quotidianam imitentur, velut Orestes mortem suam matri referens ab eaque hospitio acceptus? Verissimum igitur videtur, eas tantum partes, quae carminibus implicentur et eas, quae in argumento gravi et statario, precibus lamentis narrationibus versentur, ad pulsationem aut cantatas aut recitatas esse, reliquas vero simplici voci tributas fuisse. Quod autem de trimetris, idem fere de tetrametris valebit; nec multum afuisse rationes anapaestorum credibile est, nisi quod omnes anapaestos ad tibiam recitatos esse Hermannus probabiliter statuit.

Tum actionem histrionum apud veteres simplicissimam et gravissimam fuisse et ex irrisione Luciani, de salt. XXVII discere licet et ob ornatum, quem Aeschylus invenit, consentaneum est. Nam per personas omnes argutiae vultus erant

sublatae, motus cum corporis tum brachiorum ob capillamentum cothurnos manicas ampla vestimenta tardissimae et paucissimae fiebant. Atque maiorem etiam fuisse immobilitatem et simplicitatem actionis in Aeschyli tragoediis quam in posterioribus edocemur narratiuncula apud Aristotelem A. P. XXVII, 4 tradita: Mynniscum, quo ille histrione maxime usus est, Callipidi Sophoclis actori nomen simii indidisse ob molestam imitationem, hoc est, ob nimiam actionem.

Sed soni instrumentorum vocumque aeque atque motus actorum aeterna oblivione obruti sunt, ut vanum sit, aliquid certius de iis affirmare iisque diverbium divisum fuisse contendere. Id tamen indoli artis Graecae quivis concedet, non per se stetisse signa illa externa, sed coniuncta fuisse cum periodis in ipso poetae opere indicatis ad easque auribus oculisque proponendos quam maximo usui fuisse. Quaenam vero est *divisio in verbis indicata?*

Per se apparet, duabus rationibus eam effici posse, *incisionibus vel in forma*, quod est metrum, *vel in argumento factis.* Atque metricus quidem finis vel in ipso metro significari potest, quod fit clausula, vel alienis metris admixtis, quae certa corpora versuum definiant. Quarum rationum prior in anapaestis tantum locum habet eisque indolem a trimetris iambicis tetrametrisque trochaicis plane diversam tribuit, ut singulari et priore quidem loco tractandi sint. Argumenti autem operum scaenicorum singularis ratio ea est, qua non poeta sed actores loquantur, res non narrentur sed agantur: itaque fabulae ex partibus ingressu discessuque actorum definitis constabunt, hae autem partes ex personarum orationibus, ex quibus deinde et ipsis singulae in plura corpora dividi possunt sententiarum incisionibus. Iam possunt rationes dividendi metricae et eae quae in argumento positae sunt vel singulae vel coniunctae adhiberi, atque eam quidem divisionem quae simul pluribus efficiatur multo clariorem esse per se patet; quamobrem in enumerandis cuiusque generis exemplis ab iis incipiam quae una ra-

tione definiantur, tum addam, in quibus altera vel plures divisionis causae accedant. Sed in generibus periodorum ab ea divisione quae metro efficiatur ordiar, quippe cuius rationes externae aliquanto clariores certioresque sint, quam quae in argumenti motu et varietate nitantur.

A. ANAPAESTI.

Anapaesti igitur rhythmo pari severe servato singulos dimetros, quibus interdum dipodiae singulares immixtae sunt, tam arcte conectunt, ut nec syllaba anceps nec hiatus intercedat, desinunt autem *dimetro catalectico*. Atque is finis metricus semper adhibetur, ubi vel aliud metrum succedit, vel nova pars tragoediae incipit (velut ubi nova persona prodit Agam. 82. Pers. 149. Sept. 847), vel denique in personarum vicibus. Contra fines sententiarum, quamvis plerumque paroemiaco notentur, tamen etiam mediis in systematis occurrere notum est; sed consentaneum est, eas incisiones, quibus paroemiaci non accedant, per se in systematis partiendis nihil valere. Etenim sine utilitate editores *monometrum* ab sequentibus anapaestis distinxerunt, ubi sententiae in medias dipodias inciderent, nec tamen dipodia praeter dimetros restaret; quod nemo frequentius fecit quam Weilius, qui monometros statuit notandos esse, ubi vel verbum aliquod premendum vel notiones aut coniunctae aut oppositae componendae sint. At si omnes sententiarum incisiones significandae sunt, quid faciemus, si interpunctiones, quod persaepe fit, in medias dipodias incidunt, velut ne ultra unum systematum corpus egrediar, Agam. 62. 68. 74. 78. 81. 83. 85. 89? Sed Weilius ne satis quidem constanter secutus est regulam suam sententiasque maxima interpunctione discretas in unum dimetrum conflavit Choeph. 310. Scilicet monometrum ibi tantum notavit, ubi systemata una dipodia distantia ei aequanda essent; nam ut systemata anapaestica non minore aequabilitate adstringere posset quam reliqua

metra diverbii monometrum contendit idem valere quam dimetrum. In qua mensura praeiverant Rossbachius et Westphalus Metr. III. p. 105, qui cum systematum in fine Promethei alterum et quartum inter se respondere, primum vero et extremum una dipodia distare viderent nec in extremo reciperent Hermanni supplementum ex scholiis petitum, numerum ordinum, non dipodiarum aequatum fuisse statuerunt. At quis concedet, post monometrum interdum nulla interpunctione a sequentibus distinctum, velut Agam. 46. 53. 58. 70. 74. 78. 83. 86, vocem inhibitam esse per duorum gressuum spatium? Nonne potius consentaneum est dipodias ratione metrica arctissime nexas usque ad finem continenti serie decurrisse? Ergo mihi quidem certum est singulas dipodias ita numerare, ut monometros dimidias partes habeam dimetrorum.

Primum igitur *ea systemata* enumerabo, *quae nec metris alienis interpellentur nec inter plures personas dividantur*. Ex quibus frequentissima sunt ea, quae coryphaeus in incessu vel chori vel actoris prosequendo recitat; itaque ante parodos Suppl. 1—39 (7, vel potius ex probabiliore lectione v. 4. λιποῦσαι 4, 3, 5½, 5, 3½, 3, 7, 4, 3), Pers. 1—65 (6½, 4, 3½, 5, 7½, 4, 8, 8, 9½, 5½), Agam. 40—103 (7, 6, 4½, 7, 4½, 10. 7½, 4½, 6½); ante stasima Suppl. 609—613 (5), Pers. 527—542 (4½, 4, 5, 2), 626—635 (4½, 5), Sept. 802—811 (2, 2½, 2, 3), Agam. 340—351 (2, 4½, 5), Eum. 304—318 (2½, 2. 2½, 2. 2, 3 ex Hermanni coniectura, cui aequabilitati quamquam haud iniuria Rossbachius et Westphalus usum ceterorum systematum repugnare dixerunt, tamen fortasse trium Furiarum partes etiam in aliis locis eius fabulae ab Hermanno notatae causam praebent). Anapaestos recitant etiam Oceanides de curru descendentes Prom. 279—285 (6½). Tum actorem advenientem chorus excipit anapaestis, qui nonnumquam vel ante ingressum incipiunt Pers. 139—153 (3½, 5. 5), Sept. 838—851 (8½.

ἰώ, 4), Agam. 749—776 (libri 6, 3, 6, 5½, 2, 3, quibus Hermannus quamvis concedens sententiam mancam non esse tamen paroemiaco et monometro supplendis hanc vindicavit aequabilitatem 6, 3, 3. 4, 2, 3½, 2, 3½); abeuntem prosequitur Suppl. 933—948 (8, 2, 3; nam iniuria Hermannum regi tribuisse alteros 8, quorum tres excidissent Krusius novissimus Supplicum editor probavit), Agam. 1291—1302 (4, 3, 3, 2), nisi haec duo exempla potius quam actorum ingressum fines episodiorum notant, ut Choeph. 705—715 (2½, 7½), 841—855 (3½, 4, 3½, 3). Denique concluduntur anapaestis a choro recitatis Choephori 1062—1073 (2½, 7½) et Septem Prometheusque, in quibus systemata inter hemichoria vel inter chorum et personas distributa sunt, ideoque infra tractanda erunt. Contra actoribus praeter systemata carminibus implicata data sunt haec advenientibus: Xerxi in Persis 886—897 (ἰώ, 10½), quos tamen anapaestos apud Hermannum chorus continuat 898—901 (3½), cum mihi potius dialectus mutata non satis causae esse videatur, ut illos anapaestos a proodo anapaestica sequentis commi seiungamus. Tum in Prometheo Oceanus adveniens hos anapaestos recitat 286—299 (13½), Io 558—562 (5), eademque abiens 880—888 (9).

Iam *ab eadem persona, sed metris alienis discreti* pronuntiantur anapaesti Promethei monodiae immixti 93—100 (7½), subiecti 120—127 (8), de cuius metrorum mutationis consilio ac vi dixit Hermannus ad vv. 93. 115.

In his igitur omnibus vidimus nullam aequabilitatem existere, nec recte ab editoribus aliquot locos aequabiliter conformatos esse; vidimus ne personarum quidem ingressum in media anapaestorum corpora incidentem systemata aequabiliter divisisse Agam. 82. Pers. 148. Sept. 846; aliter vero se habent *systemata personarum vicibus discreta.* Quo pertinent exodi Septem ducum 1039—1065 (φεῦ φεῦ, 6, 5½. ἡμιχ. A 2, 4½. ἡ. B 2, 4½) et Promethei 1044—1097

(Προμ. 14. Ἑρμ. 9. Χ. 7½. Ἑ. 9. Π. 14), quorum locorum aequabilitas quamvis in utroque dipodiam suppleri poscat, tamen satis certa videtur esse, cum ipsa personarum hemichoriorumve oppositio aequabilitatem adsciverit.

Ad personarum autem vices accedit alienorum metrorum definitio in iis commis, quorum pars sermonibus propior anapaestis exprimitur. Ita enim lamentatio chorica systematis chori et Clytaemnestrae interrumpitur Agam. 1411—1544:

α. Χ. 3, 5 (sed manci). β. Κ. 5½. α. Κ. 5½.

γ. Χ. 2½, 2. δ. Κ. 7. γ. Χ. 2½, 2. δ. Κ. 7.

ε. Χ. 3, 5. β. Κ. 9½ (manci). ε. Κ. 9½;

tum in Choephoris commus chori Orestis Electrae 303—472 systematis chori proodicis mesodicis epodicis, ex quibus Hermannus mesodica ducibus hemichoriorum dedit:

Χ. 2½, 3, 3. Ὀρ. α. ἡμιχ. Α β. Ἠλ. α. ἡ. Α 5. Ὀ. δ. ἡ. Α β. Ἠ. δ.

Χ. 3, 5. Ἠ. ε. ἡ. Β ς. Ὀ. ε. ἡ. Β 5. Ἠ. ζ. ἡ. Β ς. Ὀ. ζ.

ἡ. Α η. Ὀ. θ. Ἠ. θ. ἡ. Β η. Ὀ. Ἠ. Χ. ι. Ὀ. Ἠ. Χ. ι. ἡ. Α ια. ἡ. Β ια.

Χ. 3. Deinde stasimum Eumenidum interpellatur anapaestis Minervae 903—1002:

Χ. α. Ἀ. 7, 3½. α. 7. β. 7. β. 7. γ. 7, 3½. γ.

In quibus cum ex certioribus vestigiis aequabilitatem restituisset, Hermannus eandem quamvis gravius corruptam latere suspicatus est in parodo Promethei 128—194, quae in libris quidem hos numeros habet:

X. α. II. 7½. α. 7. β. 11. β. 6½.

B. TRIMETRI IAMBICI ET TETRAMETRI TROCHAICI.

In anapaestis incisiones argumenti simul metro notabantur; in ceteris diverbii metris utravis ratio et sola adhiberi et altera accedente premi potest; quare prius de metricis incisionibus, deinde de eis quae ex argumento prodeant, dicam.

I.

Trimetrorum igitur iambicorum et tetrametrorum trochaicorum compositio plane contraria est anapaestis: *versus discreti sunt, sed nullae periodi indicatae.* Singulos enim tetrametros per se stetisse vel ob catalexim consentaneum est, sed idem in trimetris valuisse sequitur ex hiatu et syllaba ancipite in fine versuum aeque atque in tetrametris concessis. Nam cum hiatus in medio versu adeo evitatus sit, ut vel in personarum vicibus elisio admitteretur, velut apud Sophoclem (nam apud Aeschylum exemplum nullum extare ob personas in medio versu rarissime mutatas non mirum est;) El. 1502. O. C. 883, elisionem in fine trimetri eamque interpunctione paullo ante praecedente vel paullo post sequente excusatam Sophocles demum videtur adhibuisse. Etenim quamvis parum valeat testimonium Athenaei X. p. 453 usum Sophocleum ex Calliae tragoedia grammatica repetentis, tamen cum eiusmodi elisio apud Sophoclem decies extet, O. R. 29. 332. 785. 791. 1184. 1224. O. C. 17. 1164. Ant. 1031. El. 1017, nusquam apud Aeschylum, non possum accedere Hermanno, qui cum Athenaei testimonium in dissertatione de linguae Graecae dialectis op. I. et E. D. M. 1, 8, 10 probasset, postea duobus

in locis Aeschyleis Suppl. 739. Eum. 140 illam elisionem contra librorum lectionem recepit.

Attamen cum metricis rationibus singuli versus discernantur, nonnumquam grammaticis nectuntur, ut vocabula cum sequentibus vel vocibus vel enuntiatis arctissime nexa in ultimis antecedentium versuum sedibus collocentur. Quae coniungendorum versuum licentia, cum apud posteriores poetas, imprimis Sophoclem multa sit, apud Aeschylum paucis tantum exemplis extat. Nam ex tribus illis, quae Lachmannus de chor. syst. 1, 9 grammatica ratione cum insequentibus vocibus maxime coniuncta esse censuit, nec articulus a substantivo nec particula copulativa (καὶ vel ἤ) a sententia insequenti abscissa in versuum fine extat; praepositio autem praeter exempla, in quibus praepositionem praecedit adiectivum substantivo appositum Pers. 455 τοξικῆς τ' ἀπὸ — θώμιγγος, Agam. 996 πολλῶν μετὰ — δούλων, Eum. 117 τῆς ἐμῆς περὶ — ψυχῆς, in fine versus uno loco legitur Eum. 238 πρὸς — ἄλλοισιν οἴκοις eoque ab Hermanno mutato. Tamen praeter μή Choeph. 999, quod cum sequenti γένοιτ' arctissime coniungendum est, persaepe et frequentissime quidem in Prometheo in fine versuum occurrunt coniunctiones, quae nihil nisi sequentem sententiam adnectant, velut adversativa ἀτάρ Prom. 343, relativae et interrogativae ἵνα Prom. 61. 726. 794. 831, ὅπως Prom. 464, πόθεν Choeph. 253, οὗ Pers. 481, ἐπεί Prom. 386, ἅπερ Eum. 134, ὅτι Prom. 104. 261. 325. 330. 379. 955, Eum. 101; quibus accedunt pronominis relativi formae ὅ, τι Prom. 684, ὅτῳ Prom. 471, ἃ χρή Prom. 486, et interrogativi τί σοι Prom. 83, τίς Prom. 504, τίνα Prom. 383, τίνες Prom. 492, τί χρή Prom. 660, τί που Prom. 744, τί δ' οὐ Agam. 534, τί γάρ Agam. 579. Choeph. 688.

Tum etiam accentus ratio inter vocabula in diversis versibus collocata intercedit, qua vel enclitica in proximum versum reiciatur, velut Agam. 1191 ἔστιν, ab Hermanno tamen cum accentu acuto in ultima scriptum.

Verum quamquam rationes grammaticae saepe efflagitant

coniunctionem arctissimam versuum, tamen causas metricas, quibus segregentur, non negligi docet hiatus in eis locis, quibus verba vel arctissime cohaerent, velut Suppl. 275 ἤκασα — ὑμᾶς· 350 ἐφέστιοι — ἐμῶν. 595 τινὰ — ἄγειν· etc.; ut manifestum sit recitatione utramque rationem et metricam et grammaticam simul significatam esse, fortasse inhibita voce post exitus versuum, declinata autem in fine sententiarum.

Itaque cum omnes versus inter se aequales decurrant, *non prius metrica ratione definiuntur, quam aliud metrorum genus succedat.* Atque primum *inter se misceri possunt* metra diverbii: *trimetri et tetrametri;* qua ratione profecto corpora utriusque generis definiuntur. Nam nemo sanus Weilio accedet, qui ut trimetros cum tetrametris compararet, confidenter attulit doctrinam grammaticorum, qua tetrameter trochaicus ex duobus ordinibus constare diceretur, nec vero probavit, singulos ordines trimetris aequiparatos esse, a quibus tetrametros distare usus aeque atque mensura docet. Tetrametri enim cum in antiquissima tragoedia diverbium obtinuissent (Aristot. A. P. IV, 18), etiam in Persis, prima cuius quidem tempus noverimus fabula Aeschyli comprehendunt vv. 154—174, 214—247, 698—700, 704—759, cum trimetris ita mixti, ut in prima parte fabulae somnium Atossae et colloquium nuntii cum regina et choro trimetris scripta sint, in altera Darius post stropham chori salutantis ad colloquium cum Atossa tetrametris instituendum, ab enarratione rerum a prioribus regibus gestarum choro exponenda ad trimetros transeat. In recentiore vero tragoedia tetrametri tantummodo ad maiorem motum indicandum adhibebantur, quod apud Aeschylum factum videmus Agam. 1304. 1306. 1307, ubi chorus clamoribus regis excitatur, et ibid. 1619—1644, quibus altercatio Aegisthi et chori inflammatior describitur simulque fabula concluditur, ut alibi systematis anapaesticis. Qui loci cum praeter unum omnes maiora corpora trimetrorum tetrametrorumque eaque nulla argumenti ratione inter

se opposita coniungant, non mireris numeros partium pari metrorum genere conscriptarum non respondere: prima enim pars Persarum 21 tetr. 39 trim. 34 tetr., tum cantum trimetris implicatum, deinde 242 trimetros continet; altera autem 13 trim., tum post 3 tetr. strophis cinctos 56 tetr. 94 trim.; denique Agamemnonis ultima pars post commum chori et Clytaemnestrae constat ex 74 trim. 26 tetr. Contra Agam. 1303—1307 utriusque generis versus singuli eique personarum vicibus clarissime distincti miscentur, ut facile agnosci possit etiam ab auditore aequabilis quaedam et epodica quidem forma, quam Hermannus significavit:

Ἀγαμ. 1 trim. Χ. ὁ Α 1 tetr. Ἀγ. 1 trim. Χ. ὁ Β 1 tetr.

Χ. ὁ Γ 1 tetr.

Tum *trimetri* accedunt *ad anapaestos* in monodia Promethei 88—127; sed quem ad modum anapaestos eius loci non respondere vidimus, ita trimetri quoque ab aequabilitate numerorum liberi sunt, cum post 5 trim. sequantur anapaesti, tum 13 trim., deinde 3 trim. lyricis permixti rursusque anapaesti.

Sed metra diverbii etiam *cum lyricis* permisceri possunt. Ac primum quidem inter diverbium inseruntur *nonnulla extra metrum scripta*, interiectiones potissimum: a quo interpellandi genere tamen omnes tetrametri et trimetri in Persis Supplicibus Septem liberi sunt, cum anapaestis interiectiones vel praemissas vel interiectas viderimus: ἰώ Pers. 886. Sept. 847, φεῦ φεῦ Sept. 1039. In trimetris igitur liberiora illa orationibus personarum singulis vel praemittuntur, ut Agam. 1173 Κασσ. ἰοὺ ἰού, ὢ ὢ κακά, Choeph. 1044 Ὀρ. ἆ ἆ, vel ita intericiuntur, ut ab iis nova compellatio incipiat Agam. 22 Φύλ. ἰοῦ ἰοῦ, Choeph. 190 Ἠλ. φεῦ, 868 Οἰκ. ἰού, ἰού, et cum vocativo Agam. 1274 Κασσ. ἰὼ ξένοι, vel denique omnem personae orationem complectuntur Prom. 743 Ἰώ: ἰώ μοί μοι, ἒ ἔ, Agam. 1266 Κασσ. φεῦ φεῦ, Choeph. 856 Αἰγ. ἒ ἔ ὀτοτοτοτοτοῖ; quo pertinent etiam illa a choro

iterata, quae libri indicant μῦ et ὤ Eum. 120=123 et 126=129, quibus deinde vv. 132. 133 duplex μῦ et λάβε λάβε λάβε λάβε φράζου subiciuntur. Atque eadem est conditio *metrorum lyricorum brevium* trimetris intermixtorum nullaque responsione adstrictorum Prom. 114. 115 ἆ ἆ, ἔα ἔα.|τίς ἀχώ, τίς ὀδμὰ προςέπτα μ᾽ἀφεγγής; quae dochmium et tetrametrum creticum catalecticum in disyllabum cum iambo praemisso, et v. 117 ἵκετο τερμόνιον ἐπὶ πάγον; quae dochmium et paeonem efficiunt, quibus locis similis unus tantum apud Aeschylum extat Choeph. 857. 858 Χορ. ἔα, | ἔα μάλα· πῶς ἔχει, κεκράνται δόμοις; quae ex iambo duobusque dochmiis constantia trimetros praecedunt. Omnes igitur illae interiectiones praeter exemplum ex Eumenidibus petitum, de quo infra dicetur, cum non pluribus vicibus repetantur:, non possunt pares partes diverbii definire.

Contraria plane est ratio *trimetrorum singulorum carminibus* potissimum dochmiacis et iambicis *admixtorum*, quos quidem consentaneum est indolem suam sermoni accommodatam servare: tales autem non videntur extare nisi in carminibus singulorum vel actorum vel choreutarum, qui a cantu ad recitationem transire possint, cum plures simul extra cantum locutos esse non sit probabile. Ea igitur ratione trimetros carminibus intercedere censebimus, ubi eadem persona vel quae pro una eademque sint, velut choreutae trimetros admisceant carminibus, quae contineant an interpellentur nihil refert, dummodo eadem persona cuius trimetri aliarum carminibus definiuntur caeterum et ipsa lyricam indolem servet. Quo pertinent hi trimetri singularum personarum: Prom. 565 in proodo Ius, 586=607, Pers. 1023=1028, 1025=1030, quibus accedere videntur 1007=1015, ab Hermanno in amphibrachos et pentapodias discreti, Sept. 932 (προῳδός) inter Antigonam et Ismenam divisus, 956 (qui est idem 972), Agam. 1041=1046, 1051=1056, 1061=1068, 1075=1086, 1097. 1098=1107. 1108, 1119. 1120=1130. 1131, in commo Cassandrae, cuius arti-

ficium infra explicabo. Carminibus vero singulorum choreutarum interiecti sunt hi trimetri Sept. 96=99, ubi vox κτύπον in ultimo prioris, in primo alterius versus pede posita responsionem notat, nec tamen v. 102, qui cum in loco haud dubie antistrophico non habeat cui respondeat, videtur ex lyrico versu corruptus esse; Agam. in epodo iambica 457, 458, 464; tum 1078. 1079=1089. 1090, Eum. 147=153, 150=156, 158=164, 170=174; 258, 261, 264, 266, 269. 270; 771 (qui est idem 798), 772 (799), 777 (804) isque inter duos choreutas divisus, 779 (806). Saepissime autem vel nulla vel minor interpunctio inter trimetros et metra lyrica intercedit, ut quemadmodum trimetros et anapaestos arctissime coniunctos videamus Prom. v. 119 minima interpunctione a sequente v. discreto, etiam trimetri et metra lyrica cohaereant Prom. 117. 564. 565. 585. 586. 606. Agam. 458. 464. 1050. 1055. 1060. 1061. 1067. 1075. 1085. 1086. 1107. 1129. Eum. 158. 164. 170. 174. 261. 264. 266. 269. 270. 771. 772. 776. 778. (797. 799. 803. 805).

Atque trimetros ab eadem persona carminibus admixtos, dummodo carmina strophica sint, aeque repeti consentaneum est. Sed non minor quamvis diversa aequabilitas perspicitur in iis locis, ubi *carmina strophica et sermones ita inter plures personas colloquentes distributi sunt, ut altera carminibus commotum animum, altera sedatum trimetris exprimat.* Qua ratione commatica trimetros carminibus implicari videmus his locis:

1) Suppl. 333—402, ubi chorus regem permovere studet, ut sibi auxilium et tutelam polliceatur: X. (ἡμιχ.) α (dochmii ut in omnibus exemplis praeter pauca quae notabo) Βασ. 5. α. 5. β. 5. β. 5. γ. 5. γ. 11, quorum trimetrorum ultimus facile quidem mera repetitio v. 392 esse videri potest, sed defenditur sequenti φρόντισον 403, quod aperte eodem modo ad φρόντιδος refertur, quo finis carminis

sequentis cum diverbio nectitur verbo φράσαι 420 per πέφρασμαι 421 repetito.

2) Suppl. 680—746 (chorus de adventu navium certior factus patrem ne se deserat rogat)

Δαν. 24. X. (ἡμιχ.) 2α. 2. 2α. 2. 2β. 2. 2β. 2. 2. 13,

ubi fortasse disticha chori, cum omnia interpunctione maxima a strophis distincta sint, separanda sunt ab illis et coryphaeo tribuenda, qua ratione simul duo illi versus ultimi sine stropha positi excusarentur.

3) Pers. 248—284 in primo de summa clade nuntio: Ἄγγελος 7 (quamquam Weilius non sine probabilitate in vocativo Πέρσαι et sequenti γὰρ indicium invenit versus omissi qui lamentationis iussum continuerit,)

X. α. 2. α. 2. β. 2. β. 2. γ. 2. γ.

4) Sept. 163—227: Ἐτεοκλῆς 21. X. α. 3. α. 3 ('E. 1. X. ½. 'E. ½1). β. 3. β. 3. γ. 3. γ. 3. (chorus virginum ob oppugnationem perterritus ab Eteocle increpatur.)

5) Sept. 658—692: X. 6. 'E. 3. α. 3. α. 3. β. 3. β. 3. (chorus regem ne in pugnam cum fratre committendam exeat hortatur.)

6) Accedit trimetrorum et interiectionum mixtorum exemplum Eum. 96—142;

Κλυταιμνήστρα 23. X. interi. 2. int. 2. int. 2. int. 2. int. duplex. 9. (Clytaemnestra Furias dormientes excitat.)

In his igitur sex exemplis videmus *parem numerum trimetrorum eumque parvum* (2—5 vv.) non solum cum strophis respondentibus coniungi, sed etiam post vel ante plures strophas iterari, semel (in 5. exemplo) stropharum seriem et dividere et cingere; interdum autem maiorem nu-

merum vel ante primam stropham praeire (3.) vel post ultimam sequi (1.), cui repondere debeat periodus strophis inclusa; cuiusmodi responsionem tamen in sexto exemplo non requirit epodica interiectionum conformatio.

Atque in his quidem ea persona, quae trimetros recitat eundem animi affectum per omnes strophas ab altera cantatas servat. Sunt autem etiam loci nonnulli, quibus animi motus in altera utra vel in utraque parte paullatim surgens aut desinens describatur, ideoque *numerus trimetrorum et ipse minuatur aut augeatur.* Quo pertinet 7) Suppl. 793—875, ubi praeco virgines abrepturus cum choro trepidante primum carmina, deinde trimetros nectit:

ἡμιχ. A δ. ἡ B δ. Κῆρ. ε. X. μεσ. K. ε. AK. B ς. ς.

A ζ. K. 3. B ζ. 3. η. 2. η. 2. ϑ. 2. ϑ. 2;

praeco igitur a carminibus primum ad 3, deinde ad 2 trimetros trasit. Nam Weilius, qui suspicatus est, tertium versum ternionum illorum fuisse lyricum, ut praeco primum lyrica pura, deinde 2 trimetros cum additamento lyrico, denique 2 trimetros puros pronuntiavisset, non recepit v. 840 aperte corrupti egregiam emendationem Hermanni, sed tentavit v. 849 minime suspectum.

Multo artificiosior est compositio carminis ab interpretibus veteribus (Schol. ed. Dind. p. 93, 15) aeque atque a recentioribus summa laude elati, quo Cassandrae vaticinia chorusque primum mirans deinde metu captus inter se opponuntur 8) Agam. 1031—1136. Atque profecto si quo loco summa animorum elatio cum perspicuo simplicique ordine et rerum et formae consociata est, illud carmen eam palmam fert. Constat autem ex septenis strophis antistrophisque Cassandrae, quarum unicuique chorus sententiam suam adicit. Ex his igitur septem strophis similitudine et formae et argumenti efficiuntur quattuor corpora, proodus et tria binarum stropharum paria. Namque prima stropha, cui

eisdem verbis antistropha respondet, metra tantum dochmiaca exhibet, nihil continet praeter invocationem Apollinis; altera et tertia, quarum prior et ipsa in priore parte eisdem verbis iteratur ad dochmios adiungunt trimetrum, ab invocatione dei transeunt ad scelestam domum, quo Cassandra ducatur abominandam; quarta et quinta trimetrum dochmiacis includentes caedem Agamemnonis augurantur; in sexta deinde et septima vates, iam concidentibus animis ad verba chori attendens suam ipsius sortem deplorat dochmiis binos trimetros subiciens. Sed cum in summis egregia aequabilitas et rerum et metricae compositionis servetur, in parvis non vitatur discrepantia, ut proodi formam et sententiam etiam in altero stropharum pari aliqua ex parte repeti videamus, quae caussa fuisse videtur Ahrensio (de causis quibusdam Aeschyli nondum satis emendati. progr. Ilfeld. 1832), ut proodo cum duabus strophis insequentibus coniuncta tria tantum corpora esse statueret. Nec vero quae choro vel potius ex instituto Hermanni quattuordecim choreutis tribuuntur, — nam coryphaei fuerunt quae antea in silentem Cassandram dicta sunt, — eundem ordinem sequuntur quam strophae Cassandrae. Nam postquam quattuor primas strophas binis trimetris exceperunt, post quintam stropham vaticiniis paullo clarioribus exterriti duobus trimetris dochmiaca addunt, post sextam septimamque vatis iam sedatiore animo fatum suum explicantis summo angore capti lyricis tantum metris respondent. Sententiarum vero a choreutis pronuntiatarum ordo plane abhorret a concinnitate, quam in partibus Cassandrae admirati sumus: choreutae enim modo ad Cassandram se vertunt, modo inter se loquuntur; modo illius vaticinia inhibent, modo clarius sibi iubent explicari; modo de vatis amentia, modo de metu suo queruntur. Sed hanc quidem discrepantiam rectissime puto a poeta institutam esse, ut animum divina arte inflammatum quasi certis passibus ad finem progredi, mortales vero profanos secreta illa et obscura non assequentes in tenebris errare fingeret.

Denique dicendum est de aequabilitate, quam Weilius toti carmini vindicavit: unicuique enim strophae Cassandrae duos trimetros subiectos esse contendit. Attamen haec aequabilitas obscurius expressa esset, quia duo illi trimetri modo Cassandrae modo choro essent tributi; sed ne vera quidem est, cum post alteram tertiamque stropham unus Cassandrae duo chori trimetri, omnino tres sequantur. Hic igitur est ordo totius carminis, cuius strophas Cassandrae tributas Graecis, choricas Latinis litteris notabo, simul adiectis trimetrorum numeris:

K. α. X. 2. α. 2. β 1. 2. β 1. 2. γ 1. 2. γ 1. 2.

δ (1). 2. δ (1). 2. ε (1). 2 a. ε (1). 2 a. ς 2. b. ς 2. b. ζ 2. c. ζ 2. c.

Iam cum in omnibus quae huc usque tractavimus exemplis parvus numerus trimetrorum carminibus intericiatur, restat commus, in quo aequabilitas *maioris numeri* contra libros restituenda visa est 9) Eum. 770—902. Furiarum enim iudicii sibi adversi iniustitiam querentium, vindictam minantium strophis duabus, quarum utraque in antistropha eisdem verbis iteratur, Minerva trimetros opponit, quibus modo arguit iudicium iustum fuisse, modo suam potentiam sapientiamque illis in memoriam revocat, modo summos honores se illis oblaturam esse pollicetur, si placarentur. Itaque priori strophae 14, antistrophae 13 versus subiciuntur, alteri pari 22 et 11, deinde sequitur stichomythia bis quinorum et unius versuum et oratio Minervae 13 versibus comprehensa. Atque eas orationes, quae prius stropharum par insequantur uno versu (790) ex priore amovendo esse aequandas Hermannus docuit in adnotationibus. Verum etiam alterum orationum par fuere qui aequare studerent. Heilandius enim orationi duorum et viginti versuum, quorum numerus ab Hermanno unum versum (835) delente, unius ante

844 lacunam statuente non mutatus sit, respondere voluit orationem alteram cum versibus stichomythiae insequentis coniunctam. Non enim differre utrum versus periodorum respondentium orationibus unius personae an plurium comprehendantur, ex tribus versibus commaticis Sept. 199—201 inter Eteoclem, chorum, Eteoclem divisis apparere. At iam Hermannus ad illum locum adnotavit, hanc turbationem ordinis eo excusari, quod versus coryphaeo tributus non integer sit; accedit autem quod tres illi versus carminibus cincti aperte in unum corpus coniungendi sunt, cum in Eumenidibus locus stichomythicus quaestione claudatur, quae a sequenti oratione responsum continente vix possit abscindi. Itaque Weilius aliam eamque audaciorem viam ingressus est: orationes a Minerva carminibus adiectas 834—856 et 868—878 sedes mutare iussit, easque nova periodo post v. 844 incipienda aequavit. At quod dicit eam Minervae dictionem (868—878), quae accuratius chori verba respiciat, minus apte post iteratas quam post priores Furiarum querelas collocari, non satis causae est: nam etiam ex priore stropha non pauciora repetuntur in altera oratione Minervae (ἄτιμοι 810, δύσκηλιν 811, ἐκβάλῃς 816) quam in prima (βαρὺν κότον 789, ἀτιμίᾳ 785, σταλαγμάτων 791); omnino autem in quarta oratione verba πρὸς νεωτέρας ἐμοῦ θεὸς παλαιὰ καὶ πολισσούχων βροτῶν 869 non ad alteram stropham, sed ad priorem (Ἰὼ θεοὶ νεώτεροι, παλαιοὺς νόμους 770 et γελῶμαι πολίταις 780) redeunt; denique quarta oratio, quae est ultima optime incipit verbis οὔτοι καμοῦμαι. Verum ne assentientes quidem responsionem planam lucraremur: nam quod Weilius versum 845 seqq. a praecedentibus divellit, plane nullam causam habet, cum incisio si qua in hoc loco statuenda est potius ante prima placati chori verba cadat. Itaque mihi videtur illa ultimae orationis libertas quam supra in 1) exemplo invenerimus etiam huic loco concedenda esse.

In his igitur novem exemplis oppositio trimetrorum et carminuum per plures strophas orationesque continuatur; iam

omisso de quo infra accuratius agendum erit loco 10) Sept. 350—657, ubi inter septem nuntii orationes cum totidem responsis Eteoclis coniunctas tres strophae antistrophaeque chori intericiuntur, pergamus ad ea, quae *unum stropharum par inter sermones inserant.* Ita enim videmus 11) Prom. 563—613 Ionis carmina eodem quaternario numero trimetrorum a Prometheo excipi, etiam verborum coniunctione, quae inter stropham et trimetros insequentes intercedat bis repetita κλύεις (ω) 588. 589, τορῶς 605. 610. Contra reliqua tria exempla eam aequabilitatem non admittunt 12) Pers. 695—703 Χορ. στρ. (anapaestico metro, non quod in praecedentibus exemplis omnibus vidimus dochmiaco scripta) Δαρ. 3 tetram. Χ. ἀντ.; nam qui insequuntur 6 tetrametri Darii nec ex bis ternis constant et cum sequentibus sex Atossae compositi sunt; 13) Agam. 1332—1410, ubi primae orationi Clytaemnestrae 27 versuum 2 trimetri, alteri 6 vv. stropha dochmiaci generis, tertiae 14 vv. antistropha chori opponitur, quam qui sequuntur 17 versus Clytaemnestrae scaenam concludunt. Frustra enim Weilius versu post 1361 inserto et finibus periodorum post 1379 et 1399 notatis aequabilitatem restituit, qua bis septeni versus et stropham et antistropham cingerent; cum nec versus ille desideretur nec illa orationum distinctio in verbis satis indicata sit. Tertium denique quod huc pertineat exemplum est 14) Choeph. 967—1039, ubi Weilius recte videtur vv. 977—984, in libris post 998 lectos post 1008 collocasse, ut προςφωνῶν v. 1010 ad praecedens προςείπω referatur. Stropha igitur et antistropha chori anapaesticae intericiuntur tribus Orestis orationibus 26, 16, 23 versuum. Quas ut aequaret Weilius ante 985 distinxit sedecimque versus qui sequerentur 16 illis qui antistropham praecederent opposuit, éamque responsionem eo clariorem esse contendit, quod divisio utriusque loci haec esset: 4, 4, 4, 4. Attamen ne dicam vv. 993—1000 potius ex 3, 3, 2 constare, omnino oratio iam a v. 974 ad vestem fatalem deflexit, quam per priores illos 16 versus Weilius

vult explicari; quamobrem illam oppositionem bis senorum denorum versuum, quam non requiri priora illa duo exempla docent, ut obscurius indicatam in dubio relinquamus.

II.

1. Iam si ad partes diverbii in argumento indicatas transimus, illud quidem summum genus, quod *ingressu discessuque actorum* definiatur, simul canticis choricis intercedentibus dividi praecipit Aristoteles A. P. XII, 1: μέρη μὲν οὖν τραγῳδίας .. κατὰ .. τὸ ποσὸν καὶ εἰς ἃ διαιρεῖται κεχωρισμένα, τάδε ἐστί· πρόλογος ἐπεισόδιον ἔξοδος χορικόν. Sed ea definitio formam generalem spectat, quam multifariam reliquere poetae scaenici, nemo autem frequentius quam Aeschylus. Nam cum in primordiis tragoediae carmina chorica divisa fuerint sermonibus actoris prodeuntis, Sophocles autem, quem posteriores secuti sunt, non sine consilio et arte actionem diverbii fere cogitationibus per cantica chorica expressis interpellari fecerit: Aeschylus sicut aliquotiens (Suppl. Eum. in fine Sept. Agam.) chorum non spectatorem iudicemque factorum et morum in scaena propositorum, sed ipsius actionis participem esse voluit, ita etiam carmina chorica cum diverbio multifariam commiscuit. In actionis enim partes carmina vel astropha Prom. 688—695, Choeph. 145—158 (quod Hermannus tamen strophica responsione adstrinxit), vel ex pluribus strophis composita recepit, velut Suppl. 403—420, Pers. 636—681, Sept. 852—931. Contra carminibus chori actores adsunt non solum taciti nec quidquam agentes, velut Prometheus in stasimis fabulae, quae ab eo nomen habet, Cassandra Agam. 942—993, Orestes Eum. 253—272, 319—388, 483—554, sed saepe etiam commatica ratione carminum participes sunt, velut praeter commatica illa minora, quae supra enumeravi, Prometheus in parodo, Clytaemnestra Agam. 1410—1544, Minerva Eum. 903—1002. Nec vero poeta illud observavit, ut dum personae a scaena ab-

essent, carmina intericeret, sed episodia distinxit anapaestis Suppl. 933—948, Choeph. 705—715; quibuscum iambi et trochaei choreutarum ob clamores pone scaenam editos excitatorum coniuncti sunt Agam. 1291—1331, Choeph. 841—861; quin etiam cum chorus abesset vel taceret actores scaenam relinquere fecit in prologo Eumenidum post vv. 34. 65. 96.

Itaque cum partitio actionis, quae prodeuntibus vel abscedentibus actoribus efficiatur, non semper conveniat cum ea, quae ex carminibus interiectis prodeat, praeter episodia etiam ubi nulla metrorum mutatione facta persona prodeat, sive iam altera progressa sive vacua scaena, partes quamvis minoris generis definiemus. Sed saepe non ita facile statui potest, ex quonam versu nova pars incipiat. Nam etsi aliquotiens non significantur personae vel prodeuntes vel abeuntes, nuntii potissimum, qui re relata non amplius curantur, velut Sept. 68. 633, plerumque tamen vel chorus vel actor prius progressus alterum advenientem adnuntiat vel abeuntem prosequitur; quae verba quo pertineant dubitari potest, praesertim si non integram orationem, sed ultimam tantum vel primam partem comprehendant. Talia enim, quae transitum parant, medium quendam locum obtinere videntur eumque in aliis locis metro singulari, anapaestico potissimum occupant, quem tamen cum trimetris concedere vix possimus, eos aut praecedentibus aut sequentibus adscribemus. Atque cum quosdam ita hac duplici via uti videam, ut pro numerorum responsione quae actorum adnuntiandorum vel dimittendorum causa dicantur modo posteriori parti modo antecedenti adscribant, mihi ut firmam regulam praescribam, verissimum videtur, ea verba, quibus ipsa persona vel adveniens vel abiens compelletur ad eam partem pertinere, cui ipsa adsit, ad praecedentem vero vel sequentem quae ad alias dicantur; quam rationem ab ipso poeta servatam invenias, ubi colloquium cum advenientibus metro mutato instituatur, velut Pers. 245—247. Hac autem ex regula semel tantum oratio

continua dividetur discessu actoris Suppl. 919—932, ubi post 920 nova pars incipit.

Habemus igitur actionem tragoediarum, quae ipsae trilogiarum partes sunt, vel metris simul cum personarum adventu discessuque mutatis vel personis tantum prodeuntibus divisam. Ex quibus omnibus partium generibus aequabilitatis in rebus expressae exempla Weilius in commentatione Franco Gallico sermone conscripta attulit; quae tamen cum minime numeris aequabilibus inclusa sint, nihil ad nostram quaestionem valent. Quin imo tam inaequales sunt partes tragoediarum, ut, ne multus sim in exemplis afferendis, in Choephoris episodium primum, in Eumenidibus exodus fere dimidiam partem fabulae contineant. Verum omnino eae diverbii partes tam magnae sunt, ut numeri aequales a spectatoribus auditoribusque comprehendi non possint, nisi in corpora aequabilia dividantur. Quare si quando universarum partium numeri congruant, nec vero singularum particularum corpora, casum potius quam poetae consilium arguendum esse putabimus.

2. Dividuntur igitur ea corpora quae actorum ingressu discessuque notantur, *singulis orationibus personarum.* Quarum partes eo magis inter se poterant opponi, quod *plerumque duo tantum actores in scaena agebant.* Aeschylus enim tertium actorem non adhibuit nisi in exodo Septem ducum, ubi ad Antigonam et Ismenam, et hanc quidem tacentem praeco accedit, et in Orestia, ubi Agam. 822—941 praeter Agamemnonem et Clytaemnestram Cassandra, sed tacita in scaena commoratur, Choeph. 880—922 Clytaemnestra Orestes Pylades, Eum. 555—745 Minerva Apollo Orestes simul agunt. Admiscentur autem ad interlocutorum orationes *sermones chori*, in quibus inter se opponendis maximo usui esse poterat *singulorum dictorum in choreutas singulos distributio.* Cuius divisionis duplex est genus, alterum quod orationes chori verbis actorum interpellat, alterum quo alius choreuta alium excipit. Atque huius quidem generis exem-

plum praeclarissimum invenit Hermannus in consilio a choro habito Agam. 1303—1331 in singulos choreutas distribuendo; accedunt Sept. 350—356 in hemichoriorum duces divisi; fortasse etiam quos Hermannus in tres Furias distribuit Eum. 296—303. Ex priore autem genere cur praeter exempla paucissima trimetrorum carminibus immixtorum, quos supra 1) 2) 8) tractavi omnes chori orationes coryphaeo videantur esse concedenda infra videbimus. Iam etiam *in his coryphaei partibus vel admiscendis vel removendis* Aeschyli simplicitatem agnoscere licet. Nam cum in recentiore tragoedia saepe inter orationes interlocutorum compositas chori vel assentientis vel dehortantis versus pauci, bini potissimum intericiantur, velut in loco celeberrimae responsionis Soph. Ant. 681 et 724, ille in antiquioribus quidem fabulis oppositionem duarum personarum inter se disserentium adeo servavit, ut ad duos interlocutores in scaena agentes chorum accedere non faceret, nisi ubi altera sileret. Ita in Supplicibus rex cum choro disserit 221—462, cum Danao 463—487, cum choro 488—507; 876—920, ubi ad praeconem rex accessit, chorus silet. In Persis cum nuntio primum chorus a v. 248, dein Atossa a v. 285, itemque cum Dario primum chorus a v. 682, tum Atossa a v. 704, denique iterum chorus a v. 760 colloquitur; in utriusque autem loci fine postquam nuntius v. 509 vel Darius v. 844 abierunt et chorus et regina sententiam suam adiciunt. In septem ducibus chorus nuntii regisque sermones lyricis tantum strophis cingit. Contra in Prometheo chorus sane silet, dum Oceanus adest, nec per Promethei Mercuriique altercationem verba facit nisi in fine v. 1040, sed colloquium Promethei cum Ione institutum aliquotiens interrumpit, ea tamen lege servata, ut e chori interpellatione vel ex Promethei cum choro disserentis verbis nova argumenti pars incipiat vv. 632. 783. 820 et 696. 744. Quod deinde attinet ad Orestiam, in Agamemnonis quidem episodio altero chorus primum cum praecone, tum a v. 563 ad reginam, deinde a v. 595 rursus cum praecone verba

facit, advenientemque regem primum ipse salutat, tum per regis cum Clytaemnestra colloquium a v. 822 silet; neque aliter in quarto episodio primum Clytaemnestra et chorus, deinde a v. 1031 chorus cum Cassandra loquitur; sed in fine fabulae contentioni inter Aegisthum et chorum ortae Clytaemnestra semel verba intericit (1625—1633) eademque finem facit 1643. 1644. In Choephoris chorus fratrum agnitionem v. 261, tum preces claudit v. 505, et ex hoc altero quidem loco altera colloquii pars ab Electra ad chorum transit; idem dum Orestes a matre excipitur silet, ante Clytaemnestrae a servo excitatae et Orestis altercationem recedit v. 861, post eandem 4 vv. adicit 919. In Eumenidibus Minerva adveniens primum cum choro vv. 389—427, tum cum Oreste verba facit 428—461; et in iudicio quoque ubi ad tres actores in scaena agentes chorus accedat, videmus partium discrimen ita servari, ut inter se opponantur Orestes, pro quo aliquotiens Apollo verba faciat et chorus, eamque oppositionem praeclare expressam vv. 575—665. 703—725. 736—739; cum Minerva iudicium ferens partium orationes et instituat et definiat.

Sed cum consentaneum sit rationem quae inter orationes personarum colloquentium intercedat eo facilius significari perspicique posse, quo minores numeri respondeant, ab exemplis *minimarum orationum aequabiliter compositarum* ordiamur. Quarum finibus fere se continuerunt qui de responsionibus metrorum in diverbiis scripserunt Hermannus El. D. M. III. 20, Heilandius in programmate supra laudato; denique qui Prometheum, fabulam inter Aeschyleas copia et arte responsionum insignem ingeniose tractavit O. Ribbeckius in commentatione 'qua arte Aeschylus in Prometheo fabula diverbia composuerit' (Bernae 1859).

Sed in minoribus numeris opponendis poetas aequabilitatem quaerere iam veteres viderunt, qui diverbio ita disposito, si ex singulis versibus constabat proprium nomen indiderunt *stichomythiae.* Sic enim Pollux 4, 113, postquam

officia actoris enumeravit: στιχομυθεῖν δὲ ἔλεγον τὸ πὰρ' ἓν ἰαμβεῖον ἀντιλέγειν καὶ τὸ πρᾶγμα στιχομυθίαν. Atque profecto id potuit esse singulare officium histrionis, ut versus singulares recte recitaret, quippe qui adprime per Euripidem ad altercationem acerba brevitate et ingeniosa celeritate ornandam usitatissimi facti essent. Aeschylus vero non minus illum usum excoluit, quem Hermannus El. D. M. sic describit: 'ubicunque constans sibi atque aequabilis affectio colloquentium conspicua est, ut in sciscitando narrandoque per colloquium, ibi aequalibus vicibus versus inter personas quae colloquuntur, distributas videmus.'

Frequentissima igitur est oppositio *singulorum versiculorum*, quae apud Aeschylum ex his versibus incipiens et per has vices iterata extat Suppl. 193 (× 8). 282 (× 13). 320 (× 5. 1; nam recte Krusius novissimus editor Supplicum vv. 331 et 332 regi tribuit). 439 (× 6). 490 (× 5). 881 (× 8). Prom. 248 (× 4. 1. 3. 1). 388 (× 3. 1). 517 (× 3. 1). 616 (× 3. 1). 625 (× 3. 1). 746 (× 1). 758 (× 11. 1). 932 (× 4. 1). 981 (× 1. 1. ½. ½. × 3). 1001 (× 1). Pers. 231 (× 7 tetr.). 342 (× 1. 1). 716 (× 12 tetr.). 794 (× 1. 1). Sept. 228 (× 9. 1). 693 (× 4). 784 (× 5. 1). 1026 (× 6. 1). Agam. 253 (× 6. 1). 516 (× 6. 1). 898 (× 6. 1). 1161 (× 6). 1205 (× 5). 1258 (× 4. interi. 1. × 2). 1619 (× 3 tetr.). 1036 (× 3. 1 tetr.). Choeph. 101 (× 7). 161 (× 7). 210 (× 5. 1). 483 (× 4). 497 (× 1). 520 (× 4. 1). 753 (× 2. 4. ×. 2. 1). 873 (× 1). 880 (× 1). 896 (× 10. 1). Eum. 200 (× 6). 224 (× 2). 410 (× 9). 578 (× 9. 1). 736 (× 2). 879 (× 5. 1).

Ex aliis numeris autem sic a personis colloquentibus oppositis *versuum quidem singulorum inter duas personas colloquentes divisorum*, quibus versibus a veteribus nomen ἀντιλαβαί inditum fuisse Hesychius tradidit, apud Aeschylum quidem unicum exemplum et uno versu conclusum est Prom. 984, qui versus praeter eos qui cum carminibus coniunguntur Sept. 200 et in locis non exemptis dubitatione Sept. 982

Eum. 777 (804) solus est, qui inter plures personas dividatur, ideoque ab Lachmanno aliisque est impugnatus; immerito, cum in libertatis poesis scaenicae progressu definiendo regulae ex paucis reliquiis conceptae non tantum valere videantur, ut quae libri singularia sed per se non vituperanda praebeant continuo emendanda sint.

Sed ut ad maiores numeros transeam, opponuntur *bini versus binis* Suppl. 278 (× 1). 730 (× 1). Prom. 379 (× 1. 1). 696 (× 1). 968 (× 2; nam cum iam Hermannus rectissime versus quinque (970—974) inter Prometheum et Mercurium distribuisset, Keckius in censura dissertationis Ribbeckianae de aequabilitate Promethei (Jahrb. für Philol. u. Päd. Bd. 81. Jg. 1860) vidit illud οὕτως ὑβρίζειν v. 974 non habere, quo referatur, cum cavillatio Promethei superior iam a Mercurio refutata sit, ideoque versum Promethei excidisse probabiliter statuit), Pers. 797 (× 1). Agam. 598 (× 4); tum in consilio chori Agam. 1308 duodecim choreutae binos trimetros edunt, quorum binionum alterum cum tertio, quartum cum quinto, sextum cum septimo, octavum cum nono, decimum cum undecimo sententia convenire vidit Bambergerus; Choeph. 473 (× 1). 766 (× 1). 1048 (× 3. 1). Eum. 300 (× 1). 666 (× 1). 703 (× 5, in quibus iam Merkelius Eumenidum editor Gothanus, quem Weilius secutus est, vidit vv. 711—714 interrumpere altercationem Furiarum et Apollinis nec ad quaestionem Apollinis iustum responsum Furiarum praebere; quae quaestio si versum 715 praecedit, nullo responso, quo Furiae nec sine damno causae negare, nec sine impietate affirmare potuissent Iovem peccasse, sed novo convicio aptissime excipitur; quare mittendus est Weilius qui lacunam quattuor versuum post v. 710 indicavit. Nec vero rectius idem cum Merkelio quattuor illos versus post 721. 722 collocavit, ex quibus et tota sententia et οὐκ ἔχουσα τῆς δίκης τέλος verbis μὴ τυχοῦσα τῆς δίκης et βαρὺν voce βαρεῖα languide et pro ira Furiarum plane incredibili lenitate repeterentur. Quae lenitas potius in acerbitatem vertitur, si

illa dicta Furiarum et Apollinis inverso ordine ante v. 721 transferuntur, ut postquam dixerit Apollo 'tu inhonorata es apud omnes deos: ego vincam' Furiae respondeant 'ita dicis; at si non assequar iudicium molesta in hanc terram revertar,' — tum autem Apollo verba detorquens 'tu iudicium non assecuta virum vomes inimicis minime molestum,' denique Furiae minis et conviciis cohibitis facticia tranquillitate se finem expectare dicant. Nec vero recte aliquis in eo offendat, quod cum Furiae dixerint 'tu veteres deas vino induxisti,' Apollo ad alia transeat: 'at tu apud novos veteresque deos inhonorata es, ego autem vincam'; Apollo enim cum de iniuria illa Parcis inlata se v. 717 satis defenderit moleste fert Furias denuo illuc reverti opprobrioque eis obiecto inde abit. Nec enim alius nexus est sententiarum in tralaticia scriptura, in qua verba quidem σύ τοι ab Apolline acerbe iterata videri possunt, sententia autem plane nova est. Illud σύ τοι vero etiam post ἐγὼ δὲ optime se habet.

Plurium vero versuum corpora non componuntur nisi singulis paribus, praeter Choeph. 499, ubi tamen ex tribus ternionibus ultimus a choro ad fratres accedente pronunciatus novam partem colloquii incipit; et saepe quidem dubitare licet, utrum in paribus componendis casus an consilium poetae agnoscendum sit. Ita bis terni versus componuntur Pers. 430, Sept. 350, ii quidem et argumento et verbis σπουδῇ (ή) — ποδῶν (α) oppositi, Agam. 1006. Choeph. 477. 491. Eum. 228. 572, praeterea Suppl. 584, si Hermannus recte suspicatus est, ante v. 585 versum excidisse; bis quaternorum Prom. 509, bis quinorum Prom. 332. 748, bis senorum (tetr.) Pers. 704; quin etiam maiorum numerorum aequabilitatem restituit Hermannus in agnitione Choephororum 221 — 260, priore oratione Orestis per lacunam post v. 228 indicatam sequenti dictioni Electrae 11 versuum aequata, altera autem 18 vv. aeque inter Orestem Electramque distributa. Cui equidem accedo nec praeterea quidquam mutandum esse puto, nisi quod versus 234 ante 241 transponendus est, ut illud μόνον

κράτος .. συγγένοιτό σοι non ad honorem sorori restituendum sed ad domum recuperandam pertineat. Quod recte perspexit Rossbachius in progr. Vratisl. 1859, qui tamen maiores turbas ei loco movit versibus 235—240 cum praemissa exclamatione ἰοῦ ἰοῦ ante v. 230 inserendis, scilicet ne Electra a fratre reprimeretur priusquam gaudium suum significasset. Secutus est Weilius omisso illo ἰοῦ ἰοῦ. At ne ea quidem verba quae praeponunt, tam vehementer exclamantis sunt, ut frater de matre cavenda mentionem inicere potuisset, sed potius amorem tranquillum exprimunt. Itaque cum vv. 230. 231 non solum ad Electram prae gaudio exultantem, sed etiam ad stupescentem et ut necessarium consilium capiat revocandam referri possint, retinendum esse puto ordinem librorum.

Sed praeter aequales versuum numeros etiam inaequales inter se oppositi repetuntur. Ita *cum singulis versibus bini* compositi sunt Prom. 39 (× 14). 383 (× 2). 975 (× 2), ita Choeph. 884 *tribus* versibus Clytaemnestrae totidemque Pyladis contraria monentium Orestem *singulos* subicere, quorum alter quidem a sequentibus quattuor ad matrem dictis abscindendus sit, Weilius acute animadvertit.

Iam quaeri potest, *an stichomythiae lex inviolabilis sit.* Atque sane eam aequabilitatem a poetis vel quaesitam esse, probant versus singuli singulis inter se sententia nexis interiecti, quae interpellatio cum aliquotiens motui cuidam exprimendo inservire possit, velut Pers. 736. Sept. 786. 788, tamen etiam ibi reperitur, ubi tranquillum colloquium nullam causam sermonis interpellandi habet. Quo pertinere vidit Firnhaberus, in diurnis antiq. a. 1841. N. 110. 111 ex Aeschylo haece exempla Choeph. 109. 111. Eum. 412, quibus accedunt Suppl. 443. 445 et Choeph. v. 522, in quo loco fortasse non cum Hermanno v. 521 δ' inserendum, sed v. 523 pro ἐν σπαργάνοισι legendum est ἐν σπαργάνοις τε.

Idem Firnhaberus vero cum negaret, legem aliquam esse stichomythiae, exemplis ex Sophocle et Euripide petitis, quod

ad Aeschylum attinet nihil egit, cum hic fere semper videatur eundem numerum per totam vel quaestionum seriem vel altercationem servare. Quam severitatem stichomythiae cum Hermannus aliquot in locis iustissime revocaverit, non reliqua sunt nisi haec exempla negligentioris compositionis: Prom. 257—259, ubi inter singulares versus ternio inseritur, sane quoddammodo a novo argumento excusatus. Nam haud recte Welckerus in tril. p. 60, app. 69, cui Ribbeckius assensus est, medium v. 258 Prometheo addixit, cum gravitas non interpellati sed praerepti sermonis ab hoc loco aliena sit. Aliquam sane offensionem habet tota sententia fere eisdem verbis (ἐπ' αἰτιάματι vel κατ' αἰτίαν .. αἰκίζεται) iam supra vv. 197 et 228 lecta; quamquam Aeschylus aliquotiens tam simplici arte reditum vel transitum ad alias res sibi parat, ut Agam. 1 et 20 his verbis repetitis: ἀπαλλαγή (ν) πόνων et 830. 841 Κληδόνας (ων) παλιγκότους (ων). Alter locus neglectae aequabilitatis est Choeph. 757, ubi colloquio mandatum inseritur quattuor versibus comprehensum. Tertium interrumpitur stichomythia brevi interiectione pro trimetro alteri personae tributa, quod fit Agam. 1266.

Non minus autem quam stichomythia interrupta apud Aeschylum *vitatur mutatus numerus versuum*, quo Sophocles aliquotiens egregie orationes ad personas diversas, de rebus diversis, animis diversis pronuntiatas distinguit, velut Ai. 784: Χορ. 3. Τέκμησσα 2. Χ. 2. (Τ. 1. Ἀγγ. 2) × 4. Τ. 10. vel El. 660: (Παιδαγωγός 2. Χ. 1) × 2. Π. 2. Κλυταιμν. 2. Π. 1. Κλ. 2. Π. 1. Ἠλ. 1. Κλ. 1. Π. 1. Ἠλ. 1. Κλ. 2, quod postremum distichum simul ad paedagogi narrationem transducit.

Contra apud Aeschylum diverbium eodem numero aequabiliter repetito immobilitatis et rigoris aliquid habet; mutatur enim numerus his tantum locis: bis in Prometheo 379: Ὠκεανός 2. Προμ. 2. (2. 1) × 2. (1. 1) × 3. et a v. 968: (Ἑρμῆς 2. Π. 2) × 2. (1. 2) × 2. 1. 1. 1. ½. ½. (1. 1) × 3, quo in loco cum versu diviso simul στιχομυθίαν in-

verti, ut dehinc non Mercurius Prometheo sed Prometheus Mercurio respondeat Hermannus observavit; semel in Choephoris 473—504, ubi preces fratrum ex commo continuantur trimetris, quibus cum iam scholiasta haec apud Dindorfium ad v. 483 relata adscripsisset ἐντεῦθεν ἀμοιβαῖα τὰ πρόςωπα Ὀρέστου καὶ Ἠλέκτρας, πρῶτον δὲ [τὸ] Ὀρέστου, Hermannus hanc aequabilitatem restituit:

Ὀ 2. Ἠ 2. 3. 3. (1. 1) × 4. 3. 3. 1. 1. 3. 3;

quam responsionem cum sententiae inter se oppositae, tum voces in pari sede versus vel ab altera persona (ὤ 483. 484, μέμνησο 485. 486, ἆρ' 489. 490), vel ab eadem iteratae (Ἠλ. κἀγώ 475. 480, Ὀρ. πάτερ 485. 487. 489) satis indicabant.

Sed saepissime *definitur locus stichomythicus maiore aliquo numero.* Ita initium fit singulorum versiculorum a disticho (ut cum Hermanno latiore significatione vocis ex origine petenda utar), Suppl. 437. 488. Prom. 614=623. 744. Agam. 1634. Choeph. 208; a ternione Suppl. 190. Choeph. 517. Eum. 197. 407; etiam duplex prooemium praemittitur duorum binionum Suppl. 278, ternionum Pers. 788. Eum. 572; quaternionum Prom. 509; quinionum Prom. 748; senionum Pers. 704 (tetr.). Stichomythiam autem binorum versuum praecedit ternio Choeph. 1044, is quidem cum interiectione coniunctus, quodammodo etiam Agam. 595, ex quo v. chorus ad praeconem se convertit; idem vero molestiore turbatione rationis pro binione in singulis binisque versibus opponendis praemittitur Prom. 36. Saepius autem terminatur stichomythia maiore numero, quem scite comparaverunt cum maiore pondere alteri utri lancium per aliquod tempus aeque oneratorum imposito. Ita singuli versus duobus coniunctis clauduntur Suppl. 308. Prom. 781. Agam. 1643. Choeph. 882. 917. Eum. 597, ternione Pers. 245, quaternione Prom. 395. 524, duobus binionibus Pers. 797. Choeph. 766, ternionibus Eum. 228; item responsio binorum versuum

in ternionem exit Eum. 723; nusquam vero maior numerus minore clauditur, qua ratione Sophocles El. 891 egregie Electram praecidere facit colloquium cum sorore distichis institutum. Interdum autem idem maior numerus sequitur qui praecedit, velut binorum versuum Suppl. 318 et distichis inter personas colloquentes distributis Agam. 1634. Choeph. 159; tum quaternorum Prom. 513. An vero in his exemplis consilium poetae agnoscendum sit, valde dubito, cum etiam diversi numeri locos stichomythicos cingere possint, velut Suppl. 876. Choeph. 517. Eum. 575. Omnino illa stichomythiae per paullo maiorem numerum definiendae consuetudo non ita constanter observatur, ut non interdum etiam stichomythia non immutata vel episodium claudat velut Sept. 700. 1038, vel nova parte colloquii excipiatur, quemadmodum duorum fratrum orationes inter se aequatas per chorum abrumpi vidimus Choeph. 261. 505, vel contra maiores orationes insequantur, quarum primi versus nonnumquam argumento tam arcte cum praecedentibus cohaereant, ut paene eis adnumerandi esse videantur, velut Sept. 247. 795. Agam. 266. Choeph. 891.

In omnibus igitur quae huc usque tractavimus eas tantum orationes aequatas vidimus, quae iuxta positae facili opera inter se comparari poterant; iam ad locum transeamus, in quo longe artificiosior ordo extare visus est.

Hermannus enim altercationi chori et Aegisthi Agam. 1580—1618, duabus lacunis vv. 1583 et 1607 ob pravum sententiarum nexum indicatis hanc *mesodicam rationem cum palinodica coniunctam* vindicavit:

ἡμιχ. A 6 (libri 5). Αἰγ. 8. ἡ. B 3. Αἰγ. 5. ἡ. B 3. Αἰγ. 8 (ll. 7). ἡ. A 6.

At nec sententiae illarum orationem nec partes ullo modo inter se oppositae sunt; de priore autem lacuna iam Karstenius 'quattuor versus' inquit '1581—1585: σὺ δ' ἄνδρα . . οὔ φημ' . . et numero et iunctura plane conveniunt cum proximo

Aegisthi responso 1586—1589 σὺ ταῦτα φωνεῖς — γνώσει γέρων ὤν..'; prior enim locus aeque atque alter quaestionem et responsum, et utrumque quidem binis versibus expressum continet. 'Abruptior autem membrorum nexus conveniens est irato.' In altero vero loco pro χρημάτων videtur, quod genetivorum praecedentium causa immutatum esse potest χρήμασιν restituendum esse, ut a verbis ἐκ τῶνδε 'inde ab hoc tempore' nova sententia incipiat; quae quod cum praecedentibus non nexa sit, non maiorem offensionem habet, quam v. 1400. Nec vero felicius Hermanno egit Ludwigius Rel. Acad. Vindob. XXXIII (1860); qui dictiones uno versu distantes aequare voluit delendis vv. 1589 et 1615, quippe quorum prior vix cum antecedentibus posset coniungi, uterque autem sine damno abiceretur. Quod posterius quam leviter dictum sit de v. 1615, cuivis apparebit; sed ne in priore quidem valet, cum verbum σωφρονεῖν sententiae causa requiratur: quid vero in constructione vulgatae scripturae reprehendi possit, non video.

Sed idem Ludwigius etiam alia diverbiorum corpora aeque artificiose conformavit: Agam. 1006—1030 vv. 1019. 1020 post v. 1011 transpositis hanc aequabilitatem restituit:

X. 3. Κλ. 5. 2. 5. 2. 5. 3.

At ne dicam, Clytaemnestram vv. 1009—1011 ad chorum, vv. 1019. 1020 ad Cassandram loqui, priore loco illud εἴπερ ἐστί .. πείθω significat, Clytaemnestram non dubitare, quin Cassandra Graece sciat; altero vero addit regina, quid illi faciendum sit, si verba sua non intelligat; quae sententiae contrariae in una certe dictione non possunt coniungi. — Tum Choeph. 473—504 in hanc formam redegit Ludwigius:

Ὀ. 2. Ἠλ. 2. 3. 3. (1. 1.) × 4. 3. 3. 2. 2;

reliquit enim v. 504 post v. 505, v. 498 Oresti continuavit, tum delevit vv. 499—501. At ut priores rationes cum libris

consentiant neque per se prorsus reici possint, vv. 499—501 tamen cur non retineamus, nulla causa est; nam imaginem ex vita vulgari petitam quis in Aeschylo reprehendet, quem notum est ne ab hoc quidem genere comparationum abstinuisse (cf. e. c. Agam. 307. 308). — Nec denique ullo modo concedi potest systema palinodicum cum mesodo, quod ille invenit Sept. 228—246; nam nec recte sententias versuum ex utraque parte circum v. 237 collocatorum respondere contendit, et inepte totum locum stichomythicum a praecedentibus insequentibusque abripuit.

Quam autem Hermannus ad responsionem illam in exodo Agamemnonis significandam adhibuit *distributionem dictorum in singulos choreutas*, ea a multis qui Aeschylum vel ediderunt vel in nostrum sermonem converterunt in plurimis vel omnibus locis quaesita est. Attamen si in certis tantum locis eam distributionem statueris, cur in aliis argumento prorsus non dissimilibus non statuas? Sin autem in omnibus quaeras, cavendum erit, ne gravissime in ipsam quam secteris aequabilitatem pecces; quod Ribbeckio videtur accidisse, qui cum per totam fabulam Prometheum choreutarum ῥήσεις ad quaternarium numerum revocaret, sibi persuasit, unum versum 940 utpote gravissimum quattuor praecedentibus chori trimetris respondere. Itaque cum omnino de singulorum choreutarum partibus nihil traditum sit, cum Hermanno eiusmodi distributionem locorum stichomythicorum prorsus relinquam.

Sed multo etiam minus ad numerum choreutarum respiciendum est *in orationibus chori constanti aliquo numero versuum repetitis*. Ita enim in Prometheo vel novies in partibus chori usurpatur quaternarius numerus vel longioribus orationibus vel partibus fabulae praemissus adiunctusve: 195. 244. 261. 473. 509. 632. 783. 820. 1040 (in quo postremo loco ob ipsam illam quaternorum versuum repetitionem non concedemus Schuetzio, cui Hermannus quoque pene assensit, vv. 1041—1043 ἄνωγε γὰρ .. πείθου· ut interpretis additamentum ex superioribus petitum eiciendos esse); quam-

quam praeter locos stichomythicos etiam unus versus choro tribuitur 746, duo 698, tres 257. Quam quaternarii numeri repetitionem qui novissime tetigit, Ribbeckius repetiit coniecturam Welckeri numerum illum ex agmine quadrato chori explicantis. Quod quomodo fieri possit, equidem non intelligo, nisi forte singuli versus illorum quaternionum arctissime inter se nexorum singulis choreutis tribuendi visi sunt. Sed omnino quaternarium numerum Aeschylus in Prometheo adamasse videtur, ut etiam actorum ῥήσεις illo comprehenderet 395. 513. 524. 589. 610.

Simile autem exemplum numeri aequalis versuum a choro actoris orationibus longioribus adiectorum extat Agam. 1157. 1201. 1254, quibus Weilius vv. 1287—1290 addere voluit; frustra, cum mortalium misera conditio secundis rebus quasi umbrae cuidam similium, adversis obscure pereuntium egregie a virgine superba deploretur, chorus autem cur magis quam Cassandrae sortem res humanas se miserari dicat non appareat.

Caeterum *compositio minorum orationum cum maioribus* nulli certae regulae subiecta est: nisi quod plerumque plures versus inter maiores ῥήσεις interiecti coniunguntur, ne nimia videatur discrepantia orationum inter se oppositarum; quamquam praeter Agam. 1280, quo Hermannus usus est, ut Choeph. 546, quem libri cum v. 548 coniungunt nude a se positum defenderet, etiam Choeph. v. 643 solus inter 4 et 10 versus inseritur, is quidem non choro sed actori tributus.

Sed in omnibus, quas adhuc vidimus responsionibus singulae ῥήσεις inter se comparabantur; iam ad exempla *corporum aequabilium ex pluribus orationibus compositorum* pergamus; quorum responsio tamen non videtur certa esse, *nisi etiam singulae orationes in utraque parte respondent.* Quo pertinet Prom. 614—631, quem locum cum iam Hermannus in adnotationibus tetigisset, deinde Ribbeckius egregie explicavit. Bis enim singularibus versibus septenis

inter Prometheum et Ionem distributis distichum Ionis praemittitur; cum forma autem convenit responsio argumenti, cum Io in priore periodo de infortunio Promethei, altera de sua ipsius sorte quaerat; quin etiam ex singulis versibus quini primi similibus sententiis congruunt. Praeterea argumenti quidem divisionem aequalem, sed forma non expressam sibi visus est invenire idem Ribbeckius in prologo Promethei 36—81, ubi quindecim vicibus Roboris prae ferocia exsultantis bini versus, in prima ῥήσει uno aucti et singuli Vulcani munus sibi impositum aegre ferentis inter se opponantur: dividi enim locum in tria corpora aequabilia, quorum primum 36—51 de culpa Promethei necessarioque Vulcani in Iovem obsequio agat, alterum 52—66 Prometheum praeter pectus infictum, tertium 67—81 opus confectum contineat, unumquodque autem a Robore comitem impellente incipiatur. Equidem vero dubito, an novae partis initium significetur v. 67, quippe qui cum sententia, tum verbis ὕπερ στένεις arctissime cum praecedente cohaereat. Sed maius est, quod exemplum stichomythiae argumento in corpora aequabilia divisae ne in iis quidem locis extat, qui longam quaestionum seriem continentes facile ordine aequabili institui poterant, velut Pers. 704—739, ubi sex Darii totidemque Atossae tetrametri et duodecies bini versus stichomythici, quos deinde 14 et 6 versus insequuntur, in ultimis tantum versibus numerum senarium distinguendum non admittunt manifestoque ita distributi sunt: 6. 6; 3 × (1. 1); 3 × (1. 1); 3 × (1. 1). 1; 1. (1. 1) × 2. Nec aptiorem partitionem praebet Ionis et Promethei colloquium Prom. 758—782: (1. 1) × 11. 1. 2, quos ex sententiarum ratione ita distribuas: 2 × (1. 1); 2 × (1. 1); 2 × (1. 1); 3 × (1. 1); (1. 1) × 2. 2, vel rex Danaides de prole Ionis interrogans Suppl. 278—309, vel quodvis aliud exemplum maioris ambitus.

Postremum dicendum est de aequabilitate plurium orationum maioris ambitus paribus numeris inter se opposita-

rum, quam fuerunt qui in media eaque gravissima parte *Septem ducum vv. 350—657* delitescere putarent. Nam septem speculatoris totidemque regis orationes, quibus ille singulos Argivorum duces describat quidque vel signis armorum vel sermonibus minentur, hic adversarios Thebanos et praesidia a diis speranda enumeret, contenderunt a poeta ita inter se aequatas fuisse, ut unicuique responso regis totidem versus tribuisset quam praecedenti orationi nuntii, eamque aequabilitatem satis indicatam esse in tradita librorum lectione, qua bis numeri orationum compositarum conveniant (II. enim par 15 : 15, VI. 29 : 29 inter se opponere), ter paene congruant (I. 22 : 20, IIII. 15 : 20, VII. 22 : 24), bis tantum maioribus intervallis distent (III. 15 : 9, V. 24 : 13). Alii monuerunt ad argumentum ex rebus petitum, quod in comparandis et quasi compensandis opibus Argivorum Thebanorumque aequo numero versuum egregie aequae vires aequae spes significentur, accedere etiam externam causam aequabilitatis admixtis partibus chori: quippe qui ternis strophis et antistrophis septem binarum orationum corpora dispescat, cum primo pari bis terni trimetri praemittantur, quibus hemichoriorum duces adventum speculatoris et regis adnuntient. Quibus sex trimetris vero quod respondere visi sunt sex illi, quibus chorus septimam Eteoclis orationem excipit, id ne concedamus prohibet sententia illorum versuum, qui aperte transitum ad insequens colloquium Eteoclis in pugnam abituri et chori dehortantis parant. Verum universi argumenti ex partibus choricis accedentibus petiti vis eo minuitur, imo tollitur, quod illae nec ambitu nec pondere sententiarum ullo modo comparari et opponi possunt iambis, ut in iis locis factum videmus, qui parem numerum trimetrorum carminibus immixtorum exhibent. Accedit, quod singula sermonum corpora choricis partibus circumsaepta non inter se respondere, sed in dimidias partes aequales divisa esse dicuntur. Itaque exemplum potius stichomythicae cuiusdam responsionis praeberet illa quam volunt aequabilitas.

Primus autem rem tetigit Heilandius, ita tamen, ut tantum indicaret, aequabilitatem loci haud dubie multifariam corrupti restitui posse. Quod efficere conatus est Prienius (Beiträge zur Kritik von Aeschylos' Sieben gegen Theben 350—663, progr. Lubec. 1856), qui 13 versibus deletis, 17 suppletis hos numeros parium restituit: 20, 15, 15, 14, 24, 29, 22; adversatus autem ei est R. Engerus (Jahrb. für Philol. u. Päd. 1857, Bd. 75). Tum F. Ritschelius responsionem illam iam ante aliquot annos a se inventam et in scholis propositam illustravit in commentatione ingeniosae sagacitatis, quam in illo viro admiramur, plena (Jahrb. 1859, Bd. 77), et 11 versibus deletis, 31 suppletis oppositas orationes ita aequavit, ut praeter 2 versus prooemii 20, 15, 15, 15, 27, 29, 24 versus continerent. Post eum rem denuo tractaverunt: Weilius paucis (Jahrb. 1860, Bd. 81), qui Vto et VIto paribus non tractatis caetera paria nullo versu abiecto, 15 lacunis indicatis his adstrinxit numeris: 2, I. 20, II. 15, III. 15, IV. 20, VII. 25; idemque primus neque iniuria postulavit, ut singularum orationum etiam partes singulae responderent, quamvis ratione artificiosiore duas primas ῥήσεις non inter se sed cum quartis componens; pluribus Keckius (Jahrb. 1860, Bd. 81), qui et ipse credidit nullum versum interpolatum esse, sed excidisse 28 vv., praetereaque duos versus ex V. oratione nuntii in regiam transponendos esse; quibus rationibus duo adminicula quaesivit, partim aequabilitate illa partium magis excolenda, imprimis signo ducis Argivi et adversarii Thebani nomine in eisdem locis orationum collocatis; tum omnibus corruptelis ex sex lacunis vel perturbationibus versuum derivatis, quae superioribus foliis codicis alicuius primitivi situ corruptis extitissent. Numeros autem probavit hos: 2, 20, 15, 15, 20, 25, 30, 24. Deinde Dindorfius (Philol. 1860. Jahrg. XVI) rationibus longe diversis deditus 26 versus interpolatoribus tribuit, 20 excidisse putavit; unde hos numeros nactus est: 2, 20, 15, 15, 14, 21, 26, 21.

Nec vero qui rei publice adversaretur repertus est quisquam praeter Heimsoethium, qui in libro „Die Restitution des Aeschylus“ cum passim locum tetigit, tum pp. 437—449 argumenta aequabilitatis refellere studuit; isque nullum versum supplendum, nullum abiciendum esse sibi persuasit. Attamen cum non omnia orationum paria tractaverit, neque ubique rationibus usus sit, quibus assentiri possim, liceat singula argumenta responsionis denuo tractare et accurate inquirere, an damna traditae scripturae lacunas interpolationesque indicent, quibus sanandis ad responsionem ducamur.

In *primo* igitur orationum pari nuntio tributi sunt 22 versus, regi 20. Ritschelius, cui obsecuti sunt Keckius Weilius Dindorfius, numeros intactos reliquit, sed ita ad aequabilitatem revocavit, ut versus 356. 357 pro prooemio omnium nuntiatorum haberet et a reliquis versibus secerneret. At ut omittam gravissimam dubitationem, an divisio orationis continentis per sententiam facta comparari possit cum ea, quae ex personarum vicibus existat, illud ipsum argumentum ex sententia petitum locum haberet, si aut ceterae orationes prooemiis carerent, aut etiam de primo duce narratio singulari ingressu institueretur; atqui videmus hic et in secundo et in quarto relatu nuntium nihil praefari, nec primum aut secundum ducem quotus sit exponere, cum reliquos numero addito et III. V. VI. VII. verbis λέξω 439, αὖ λέγω 507, λέγοιμ' ἂν 549, λέξω 613 adnuntiet. Gravius etiam est, quod si hos duos versus ob sententiam prooemium omnium orationum esse volumus, vv. 630—633, qui aeque omnes septem orationes spectant, habendi sunt pro epilogo, quo absecto et septimi paris responsio plane tolleretur et epodus (ut nominibus a carminum ratione sumptis utar) medium inter stropham et antistropham locum haberet. Denique symmetria proodum aut utrique personae aut neutri tribui iuberet, quarum rationum prior in carmine ἀπὸ σκηνῆς Sept. 932 extat.

Quod Prienius perspexisse videtur, qui versus illos cum reliquis coniunxit, sed in his duos versus interpolatos esse

affirmavit: 1) v. 373, quem ob βοᾷ μάχης ἐρῶν languide ex vv. 361. 362 repetitum eiecit. At eam esse Aeschyli consuetudinem, ut ad superiora vel eisdem verbis repetitis redeat, et Weilius adversus Prienium observavit et nos supra exemplis docuimus. Minus etiam prospere cessit Prienio, quod 2) v. 375 ut imaginis, quae in v. 374 indicetur fusius explanandae causa a librario aliquo additum esse probare voluit. Quem iam Engerus vidit tantum abesse, ut nihil novi addat, ut summam comparationis contineat, qua Tydeus ab Amphiarao ne Ismenum transgrederetur prohibitus cum equo fremente comparetur, qui tubae sonitu audito coerceatur; nam egregie Freyius in dissertatione de schol. Med. Bonn. 1857 voces εἴργεται κλύων, alteram ex lemmate, alteram ex explicatione scholiorum eruisse videtur. Itaque Prienius in altero progr. Lubec. 1858 ab illo quidem versu eiciendo destitit, sed v. 357, ut iam Hartungius fecerat, in suspitionem vocavit; nuntio enim narrandum esse, non quomodo singuli duces in singulis portis, sed quasnam portas sortiti sint. At locutio Aeschylea facile a quovis vocibus τῆς τάξεως vel ταχθῆναι ad ἐν πύλαις suppletis intelligitur, quae etiam in vv. 432. 438 addendae sunt.

Alterum orationum par numeros prorsus pares exhibet. Sed v. 407 suspitionem movet, quippe qui minis Capanei iam v. 406 adnuntiatis alterum ingressum paret; accedit, quod fere idem v. 530 redit. Itaque post Lachmannum Hartungius eum eiecit; sed recte Prienius duplex prooemium duplici sententia, qua Capanei iactantia et humanum morem excedere et urbi terribilia minari diceretur, excusavit; recteque Engerus observavit Eteoclem voce ἀπειλεῖ v. 421 ad hunc versum respicere.

In *tertia* nuntii oratione nihil reprehensum est; contra gravissimae turbae excitatae sunt ineunti responso regis. Prienius enim voce τόνδε v. 453 significari voluit lacunam aliquot versuum, quibus de alia re quam de illo ὅδε actum fuerit, et potissimum de iactabunda illa Martis irrisione.

Ritschelius in hoc ipso τόνδε offendit, quod neque ad Megareum referri possit, scilicet qui aeque atque ceteri duces Thebani a scaena plane remotus sit, neque ad τὸν φερέγγυον, quod notionem praedicati non subiecti contineat; quare τῷδε scripsit indicavitque lacunam 6 versuum, 4 ante v. 453, 2 post 453. Keckius vidit, verbis πέμποιμ' ἂν illud nuntii πέμπε excipi, ideoque totam lacunam post v. 453 collocavit. Heimsoethius et ipse τῷδε scripsit, sed lacunae necessitate prorsus negata ad verba πέμποιμ' ἂν ἤδη τῷδε ex sequentibus supplevit Μεγαρέα, quod tamen enuntiatum me quidem iudice nimis nude ieiuneque dictum esset.

Sed omnino illud τόνδε nulli dubitationi obnoxium videtur esse, dummodo verba τὸν φερέγγυον probentur. Nam ne τόνδε ad praecedentia referre dubitem propter discrimen inter ὅδε et οὗτος statutum, quo illud res oculis vel cogitationi suppositas demonstret, hoc praegressa in memoriam revocet, moveor exemplis, quibus cum in eisdem locutionibus saepius repetendis pro metri necessitate modo ὅδε modo οὗτος usurpatur, velut 381 ταύτην, ἣν λέγεις et 534 τῷδ', ὃν λέγεις; 576 τούτῳ de duce modo descripto et 376 τῷδε, 416 τοιῷδε, 451 τῷδε, 480 τοιοῦδε, 528 τοιόςδε, tum ὅδε aperte ad praecedentia spectat 513 τόδε, 525 τῷδε, 644 τόδε, 662 ὧδε, 663 τοῦδε, — τοῦτο autem ad sequentia 560. Itaque τόνδε v. 453 redit ad τὸν φερέγγυον i. e. eum qui spondet. Quae vero ille spondere dicitur, ea sane tam communia sunt omnibus qui ab Eteocle emittuntur, ut certus aliquis (τὸν φερέγγυον — τόνδε) vix ita notari possit. Quare aut cum illo τόνδε etiam articulus ante φερέγγυον mutandus est aut certa et in unum tantum referenda res spondeatur, velut hunc ducem ipsum illum Eteoclum reiecturum fore. Qualis sententia vero quomodo restituenda sit, fatendum est me nescire.

Quodsi tamen aliqua ratione illud τόνδε servari potest, caetera certe argumenta lacunae statuendae parum valent. Requirunt, ut Mars et Thebarum custos et ab Eteoclo lacessitus ei adversaturus esse dicatur, tum ut Megareo, qui

iactantiam in manibus habeat, iactantia Eteocli iterum opponatur. At Eteocli signo glorioso vv. 459. 460 refutando simul illud, quod ei inerat Martis opprobrium reicitur; κόμπον autem v. 454, si statim in initio orationis regiae sequitur, apertissime ad ultima nuntii verba spectat, quibus iactantia Eteocli describitur. Quod autem rex praeter morem prius de adversario, deinde de signo hostis disserit, satis probat etiam in rerum omnibus orationibus communium ordine valere quoddam varietatis studium, ex quo eodem vel constantissimam regis consuetudinem signorum quas ab Argivis portari nuntius narrat irridendorum neglectam videmus in altero pari.

Iam *quarta* nuntii oratio nihil habet quo offendamur. Nam non satis valent, quae Prienius et Dindorfius in v. 481 reprehenderunt: inutile esse additamentum, cum iam in antecedentibus causae enarratae sint, ob quas Hippomedon sit metuendus; consueto enim more Aeschylus etiam vocibus similibus ad praecedentia revertitur; nec maioris momenti est, quod 'timorem iactari' mire dictum sit pro 'timorem iactantia effici'; quippe quae audacia a poeta nostro minime aliena sit. Accedit, quod concinnius et oratoriae aequabilitati convenientius est, epilogum ex pluribus versibus constare, quam uno moleste abrumpi, ut etiam I., II., III., VI. orationibus speculatoris clausulam ex duobus versiculis compositam subici videamus.

Eorum vero, quae statim rex respondet extrema verba magnis dubitationibus locum dederunt ideoque iam a Dindorfio sex, ab Hermanno quinque versibus spoliata sunt. Nam postquam dictum est 'Mercurius scite adversarios composuit: infestus enim vir viro occurret et deos infestos in scutis conferent, cum illi Typho huic Iupiter pro insigni sit,' quid expectamus, quam ut enuntietur, quid ex signis illis portendatur. Quod fortissime et dignissime v. 497 significatur πρὸς τῶν κρατούντων δ' ἐσμέν, οἳ δ' ἡσσωμένων; languide vero et ut pannus assutus cuivis candido Aeschyleae poesis iudici

appareat, vv. 498—501. Sed illud πρὸς τῶν κρατούντων κ.τ.λ. non potest versum 494 statim sequi; atque praebent libri duos versiculos, quibus annectatur. Ex quibus prior κοὔπω τις εἶδε Ζῆνά που (sive cum Elmsleio malis του) νικώμενον, inutiliter addit, quod et in κρατούντων inest et vix opus erat enuntiare; alter vero sane reprehendi potest cum ob verbum προςφίλεια in Atticis scriptoribus praeter hunc locum non lectum, quamquam προςφιλὲς versu 561 occurrit, tum ob sententiam 'talis vero est gratia deorum', cum requiratur aut 'sic dispertita est gratia deorum', aut 'ita dii inter se oppositi sunt'. Quarum rationum alteram Heimsoethius ita restituere voluit, ut pro glossemate προςφίλεια vocem ξυναλλαγαὶ ante δαιμόνων insereret; quam emendationem quamquam non certiorem esse puto quam ullam ex glossematis fingendis petitam, tamen cum eiusmodi sententiam mendosae lectioni subesse credam, versum retinebo. Ritschelius vero eum omisit et cum v. 495, quo Dindorfius et Prienius orationem concluserant, statim coniunxit v. 497, quae ratio praeter inutilem v. 495 etiam abrupto fine per v. 497 facto molesta est. Contra Weilius Keckius Heimsoethius omnes versus defenderunt, quamobrem priores illi duo lacunam in oratione nuntii notare coacti sunt, quam Keckius Typhonis v. 474. 475 satis ut opinor descripti narratione ampliore ex Hesiodo petita, sed a simplicitate et brevitate Aeschylea plane abhorrente explevit.

Sed maximum momentum habebit iudicium de *quinto* pari, quae orationes quam longissime distantes, ut in aequabilitatem restituantur gravissime immutandae sunt, et sane vehementissimis criminibus locum dederunt. Nam Ritschelius in primis nuntii verbis nomen Parthenopaei desideravit, quod et ceteri duces statim in initio nominati sint et sensu careat multis verbis hominem describere in ipsoque nomine ludere, nec tamen nomen ipsum nisi longum post intervallum nominare. Nec vero ferri posse nomen in v. 528 positum ob inauditam mensuram vocis Παρθενοπαῖος. Denique ipsum illum finem

perturbationis signa certissima prae se ferre: ad analogiam enim, quae postulet, ut nuntius duobus versibus regem adversarios aptos eligere iubeat, accedere, quod v. 530 non solum inepte repetat minas Parthenopaei, inde a v. 512 enarratas, sed etiam nimis debilis sit, quippe qui minas, non facta timendas esse affirmet. Itaque nihil certius videri, quam post tertium versum orationis versum aliquem cum nomine Parthenopaei, et v. 530 intericiendum, in fine autem v. 528, supplemento orationem ad Parthenopaeum revocante auctum cum v. 529 ante vv. 526. 527 transponendum, denique duorum versuum lacunam notandam esse.

Nec certe dubitari potest, quin librorum ordine semel deserto audaci manu opus sit: nam si nomen Parthenopaei in ingressu desideres, ex v. 528 removendum, si in fine ferri non posse credas, in initium revocandum erit. Sed fortasse utrumque crimen refelli poterit: in qua spe vel eo confirmamur, quod versum illum cum nomine Parthenopaei non videmus ubi inseri possit. Quem nec cum Ritschelio post tres primos versus collocabimus, ne post stationem ampliore narratione descriptam nomen languide annectatur, nec cum Dindorfio post primum, ubi verba πέμπτον et πέμπταισι argute composita dirimeret.

Potest autem defendi ordo librorum, qui nomen post uberiorem demum descriptionem hominis exhibent duabus rationibus. Nam Heimsoethius quidem contendit, Parthenopaeum genere forma aetate commemoratis et Eteocli et spectatoribus satis notum fuisse; id quod etiam Prienius sibi persuaserat, qui nomen prorsus abiecit et v. 528 ὁ παρθένου παῖς scripsit. Nos vero non concedemus, virum satis indicatum fuisse descriptione illa. Videmus enim tragoediam veterum ut pro populo universo et eruditorum et indoctorum hominum agentem, sive actor prodeat, sive homo aliquis vel nobilissimus nominandus sit, nusquam obscuriore significatione, sed semper aperto nomine uti; cuius consuetudinis

exempla si requiras, invenias ad nostrum locum illustrandum aptissima in enumeratione septem ducum O. C. 1313—1322, Eurip. Phoen. 119—192, 1104—1140. Nec enim satis recte Heimsoethius in primo loco solum matris nomen proponi, ipsius autem hominis nomen paullo post sequi voluit, quemadmodum Melanippus v. 388 Ἀστακοῦ τόκος, v. 395 autem proprio nomine appelletur: nam nostro loco ne mater quidem diserte nominata, sed obscure tantum descripta est.

Itaque restat, ut cum Weilio credamus, poetam iuventute et pulchritudine, tum fabulosa origine viri et rursus minis eius ingentibus enarrandis expectationem spectatorum movisse, cui deinde ipso nomine in fine afferendo egregie satisfecerit; qua ratione probata apparet, cur poeta totum ordinem narrationis inverterit.

Atque haec defensio ordinis traditi non labefactatur ultimis versibus tractandis: in quibus nomen Parthenopaei ob insolentem secundae syllabae prosodiam ferri non posse visum est. Qua de quaestione multa in utramque partem dici possunt et dicta sunt: illinc analogiae severitas premitur, hinc gravissimae causae afferuntur, cur analogia relicta sit. Nam primum productio brevis syllabae non caret exemplis: in hac ipsa tragoedia v. 469 nomen Ἱππο̄μέδοντος penthemimerim occupat, quod exemplo Sophocleo Ἀλφε̄σιβοίαν firmat Priscianus a Ritschelio sane omni auctoritate spoliatus; denique apud eundem Sophoclem Ai. 210 libri Τελεύταντος pro dipodia anapaestica praebent. Nec ratio deest, qua illam productionem excuses, cum omnia exempla sint nomina propria, omnia vocalem brevem ante liquidam consonam vel σ producant; id quod etiam apud Homerum et in dialectis factum esse nemo est quin sciat. Atque eandem prosodiae inconstantiam ante aspiratas χ et φ, velut Aesch. Choeph. 1046 φαιο̄χίτωνες et ante ρ deprendimus. Accedunt denique causae rhetoricae et metricae, quarum alteras Hermannus attulit El. D. M. p. 60 et in praefatione ad Euripidis Bacchas. p. XXVIII 'quum orationis ea sit constans lex atque

immutabilis, ut, si quod verbum praecipue urgeri velimus, id in initio sententiae collocetur, illa legis huius necessitas docuit poetas in principiis versuum formas verborum etiam reluctantes aptare numeris'; alteras Heimsoethius, qui monuit, Aeschylum anapaestum pro iambo praeter primam sedem non usurpasse; quod recte observavit, quia Ἀμφιάρεω in huius tragoediae v. 550 (in V. iambo), Ἀριόμαρδος Pers. 316 (in IV. sede), Ἰόνιος Prom. 841 (in IV. iambo), quae et ipsa nomina propria vel a nominibus propriis derivata sunt, satis excusationis habent a littera ι ante vocalem in consonam versa, ut factum videmus in iis, quae Hermannus El. D. M. 1, 9, 54 attulit, Φειδίας, Ἀπολλωνίας, Πηλίαδα.

Sin autem nomen Parthenopaei intactum in v. 528 relinquimus, facili opera avertentur crimina a reliquis aequabilitatis restitutoribus contra finem orationis prolata. Keckius enim versuum ordinem hunc esse voluit 527. 526. 528 (quem sic scripsit Ἄργει μέτοικος Ἀρκὰς ὅδε· τοιόςδ' ἀνήρ ..), post quos versus duorum lacunam indicavit, vv. 529 et 530 in orationem regis traiectis, quam initio carere cum Ritschelio credidit. Cuius ordinis hanc potissimum causam attulit, vocem μέτοικος cum καπηλεύσειν componendam esse, ut Parthenopaeus diceretur Argivorum metoecus esse, sed bellum non cauponis instar tenuiter gesturus. At et frigide illud καπηλεύσειν μάχην simili imagine dilataretur nec quidquam obstat, quominus vocem μέτοικος nihil aliud quam 'hospitem' declarare putemus. Minus etiam valet, quod vv. 529. 530 in regis orationem traiciendos esse voluit ab καλὰς τροφάς, 'bona educationis praemia' ironice dicta; nam τροφαί ut v. 646 educationem, non praemia educationis (τροφεῖα v. 458) significant. Dindorfius autem vv. 527. 528. 529. 530 a poetastro aliquo profectos esse vult consilii poetae ignaro, quo ille v. 526 et aliquotiens sermones graviori aliqua sententia breviter enuntiata terminaverit, quae spectatoribus plura cogitanda relinqueret. Non igitur recogitavit brevitatem illam et gravitatem regi fiduciae et bonae spei pleno aptissimam et usita-

tissimam (432. 461. 606. 656) a nuntio non nihil Argivorum copiis perterrito alienam esse.

Idem vero Dindorfius responsum regis mutilum esse iam pridem contenderat, eique deinde Prienius Ritschelius Keckius assenserunt. Desideravere enim subiectum verborum τύχοιεν et φρονοῦσι, versum 531 sane ex librorum scriptura et ex interpretatione Byzantinorum significare voluerunt 'si istis [ipsis] contingerent, quae [in nos] cogitant', eamque sententiam, quod τύχοιεν non declararet 'iis contingerent', sed 'potirentur'; quod et αὐτοὶ et εἰς ἡμᾶς abesset; quod apodosis 'tum funditus perirent' nihil nisi protasin repeteret, absurdam esse et lacunae indicia prae se ferre affirmaverunt. Accedere etiam v. 532 nec ad praecedentia nec ad sequentia pertinentem, quod vitium tamen v. 533 a Doederleinio ante 532 collocato sanatum erat. Itaque Ritschelius v. 531 reliquum esse voluit ex longiore praefatione, qua rex a Parthenopaeo exorsus transiisset ad universam culpam hostium et ad auxilium deorum certa fiducia sperandum; 'nam si isti a diis impetrarent, quae in animo habent, [dii iniuste facerent. Iam vero cum in ipsos deos peccent] istis minis iactabundis, funditus peribunt'. Keckius secutus est, sed vv. 529. 530 ex oratione nuntii huc relatis. Dindorfius autem nuper 531. 532 prorsus eiecit.

Atque profecto si v. 531 significaret 'si iis contingerent, quae optant', cum universa sententia tum illud ὀλοίατο 533 absurdum esset: quod tamen qui in ὀλοίμεθα mutavit Heimsoethius nec probabiliter mutavit et sententiam plane inutilem intulit hanc: 'si impetrarent quod volunt, funditus periremus'. Mihi vero Eteocles plane aliud dicere videtur: 'utinam (εἰ γὰρ ut Prom. 152) voluntatis impiae [mercedem dignam] a diis acciperent! tum certe funditus perirent'. Ita video etiam Hartungium vertisse, ita iam scholiasta Mediceus, quem pars Byzantinorum sequitur, interpretatus est: εἴθε γὰρ πάρα θεῶν τύχοιεν ἐπαξίως ὧν φρονοῦσιν ἀνοσίων, tali fere voto etiam chorum (εἴθε γὰρ κτλ. v. 547) accedere videri

observavit Prienius; deinde quis dubitabit, utrum poetae magis conveniat, regem fingere hostium extinctionem optantem, an tranquille argumentantem, cur illis pereundum sit. Itaque ut sententiam nostram restituamus, sane mutanda erit tradita scriptura; et facillime quidem uno versu post 531 suppleto, velut ὧν τ' ἐκδίκως βάζουσι τἀπιτίμια.

Iam omnia optime procedunt: ultima nuntii verba impium sacramentum Parthenopaei repetunt, quo iratus rex ut postea chorus universam hostium iactantiam detestatur; deinde vero ad adversarium Parthenopaei transit. De Parthenopaeo autem si quis iam antea dictum fuisse putat, verbis ὃν λέγεις τὸν Ἀρκάδα refutatur, quae ad nuntii verba redeunt.

Quod vero Prienius attulit, ut lacunam maiorem ante v. 531 evinceret, auxilii ab Amphione, cuius bustum v. 509 nominatum sit ferendi spem affirmandam esse, quemadmodum in quarta oratione regis tutelam Palladis Oncae invocatam videamus, id non satis valet; potest enim Aeschylus talem similium rerum repetitionem consulto vitasse, potest bustum illud nulla alia de causa nominasse, quam ut locum describeret.

Sed etiam v. 541 dubitationibus tentatus est, quippe in quo nec particula aliqua legatur, quae enuntiatum ad antecedentia adnectat et subiectum tacite mutetur, eo molestius, quod in superiore sententia duo accusativi sint εἰκὼ et φέροντα. Itaque iam Hermannus suspicatus erat, versum excidisse, cui opinioni deinde Prienius assensit; Ritschelius autem et Keckius duorum versuum lacunam indicaverunt. Attamen cum non res supplendae sint, sed tantum nexus sententiarum restituendus, fortasse in verbis aliquid mutandum erit. Et suspitionem quidem movet φέροντα v. 540, quod et articulo caret et nimis prope cum τῷ φέροντι v. 541 coniunctum est, denique quod contorte is, qui Sphingem portat nominatur, cum ipsam Sphingem non admissum iri dici poterat. Fortasse igitur pro φέροντα scribendum est κυροῦσαν (ut 382); qua ratione probata subiectum sequentis sententiae ex simplice obiecto praecedentis

facillime intelligi et suppleri docent multa exempla velut, 414. 415, ubi ad χερῶν et φωνεῖ ex ἄνδρα praecedente αὐτοῦ et οὗτος supplenda sunt, vel 1006 ὁμαρτεῖν χειρώματα, 1007 προςσέβειν (τινά), 1008 ἄτιμον εἶναι (αὐτόν); quibus locum mirae neglegentiae addam, Pers. 452 ἐξέθρωσκον et 453 κυκλοῦντο (Ἕλληνες ex praecedente Ἕλλησιν supplendum), ὥστ' ἀμηχάνειν (Πέρσας); tum 456 ἰοὶ — ὤλλυσαν .. παίουσι (Ἕλληνες).

Sextum orationum par, quale libri offerunt, numero versuum congruit utraque 29 vv. continente. Attamen haec aequabilitas ab iis ipsis, qui responsionem probant, deletur. Primum enim offendit in oratione nuntii copia nominum, quibus Tydeus ab Amphiarao reprehenditur; quare iam Hermannus, quem Ritschelius secutus est, cum videret v. 554 fere idem declarare quam 556, priorem delevit. Mihi vero alter potius pedestris interpretatio prioris videtur esse. Gravius est, quod fuerunt, qui partem conviciorum Tydeo abiudicarent et Polynici darent, primum quia pars conviciorum in hunc tantum quadraret, tum aequabilitatis causa, quae Tydeum non pluribus reprehendi postularet, quam Polynicem, denique quod contumelia huic ex nomine derivata ἐν τελεύτῃ dari diceretur, ideoque nonnulla praecessisse necesse esset. Quorum argumentorum primum verba Ἐρινύος κλητῆρα spectat, quae Erinys sane ea est, quae genus Oedipi extirpat. At quomodo Polynices 'Furiae apparitor' dici potest? Imo solus videtur ita increpari posse Tydeus, quippe qui non solum diserto Aeschyli testimonio (361. 373) cupidissimus sit pugnae, qua de fratrum sorte discernendum est, sed etiam secundum veterem fabulam iam ab Homero narratam Polynicis nuntius fuerit, qui regnum ei ab Eteocle repeteret; nec vero quemquam fugere potest, quanto melius Tydeus πρόςπολος Φόνου dicatur quam Polynices. Quod autem ad aequabilitatem attinet, nonne concinnius erit, Amphiaraum in Tydeum acerbe invehi, ad Polynicem versum nomine male ominato utentem placida oratione crimina inferre? De-

nique de tertio argumento iudicium pendet ex versibus 557—559 restituendis. In quibus, ut a fine incipiam, Heimsoethius ostendit, verbum ἐνδατούμενος de nomine contumeliose pronuntiando intelligendum esse, non de partiendo. Itaque nullam rationem discerpendae vocis Πολυνείκους, vel qualem scholiasta obscure indicat τὸ πολὺ καὶ τὸ νεῖκος, vel qualem Ritschelius proposuit πολυστενάκτων νείκεων ἀρχηγέτην probabimus, sed Amphiaraum nil nisi nomen proferre credemus, quemadmodum nominis nec disiuncti nec alia ratione immutati malum omen prematur ab Eteocle v. 639 et a choro 810. Id igitur nomen δὶς ἐν τελεύτῃ pronuntiasse dicitur Amphiaraus. At cur bis? in cuiusnam orationis fine? Nonne potius in principio orationis infra referendae? Denique quemnam τοὔνομα tam nude positum non offendet? Egregie igitur Hermannus δυςεκτέλευτον. Iam si ad praecedentem versum progredimur, in illo et ipso ὄνομα legimus, quod cum τοὔνομα sequenti tam prope compositum est, ut alterum utrum mutandum sit. Quare iam Schützius prius ὄνομα ex ὄμμα corruptum esse censuit, ut aliquotiens factum est (cf. Herm. ad Choeph. 235); quo restituto simul aptissimum obiectum participii ἐξυπτιάζων nanciscimur. Quod cum ab editoribus fere receptum esset, Heimsoethius alteram viam praetulit: versum 559 perturbatum esse putavit duobus glossematis, τελεύτῃ pro τέλει, τοὔνομ' pro τοὔνειδος inlatis, quae tamen mireris sententiam aeque atque metrum intacta reliquisse; tum in v. 558 servavit ὄνομα, sed ἐξυπτιάζων ob scholiorum interpretationem ἀναπτύσσων, ἐτυμολογῶν credidit ex ἐξαμπετάζων 'explicans' corruptum esse. Id quidem satis speciose, sed ea ratione probata praeter sequentem versum etiam eiusdem versiculi altera pars ei immutanda erat: ex qua Πολυνείκους cum ὄνομα coniunxit, βίαν vero in δίχα mutavit. At nomini dividendo ipse et rectissime quidem adversatus est in v. 559 explicando; accedit, quod ieiunitas illa supra vituperata nominis Polynicis nude positi non minus in hunc locum caderet.

Sed etiam scholia, ex quibus illud ἐξαμπετάζων prodiit fundamentum non ita firmum praebent, cum eodem iure, quo Heimsoethius scholion ad v. 559 adscriptum ad praecedentem, nos explicationem versus 558 ad sequentem trahamus. Primus deinde versus et ipse, et gravissime quidem laborat. Scriptum est in libris πρὸς μόραν ἀδελφεόν. Heimsoethius formam lyricam ἀδελφεὸν ab editoribus damnatam ferri posse putavit, si singularem notionem 'ex eadem matre ortum' retineret, cui 'ex eodem patre genitum' adiunxit praecedentibus in ὁμόσπορον mutatis. At ne dicam, sententiam illam de voce ἀδελφεὸν nondum probatam esse, cur nuntius tanta gravitate originem Polynicis cum Eteocle communem premat? Nam quod Antigonae v. 1016 officii sui fraterni necessitatem explicanti egregie convenit, id ab hoc quidem loco plane alienum est. Hermannus autem duas lectiones proposuit, quarum priorem εἰς ὁμόσπορον κάσιν Ritschelius revocavit, cum ipse Hermannus in editione ἐς πατρὸς μοῖραν κάσιν scripsisset. At utrique Heimsoethius non immerito adversatus est. In posteriore enim participium alienum vitiose separat nomen obiecto oppositum ab obiecto. A qua menda sane prior lectio libera est, in qua nomen appositum post verbum praedicatum reicitur, ut factum est etiam 429 ἀνὴρ .. τέτακται, Πολυφόντου βία et 467 τέταρτος ἄλλος .. παριστάται, Ἱππομέδοντος σχῆμα; sed aliam ob causam ferri non potest. Recte enim Heimsoethius monuit, Amphiaraum a Polynice aeque atque a Tydeo, qui v. 358 iam ad Proetides portas furere diceretur, remotum esse ideoque illud εἰς locum non habere. Itaque πρός, quod libri praebent servandum videtur esse, ut Amphiaraus Polynicem versus spectare dicatur. Quid vero in μόραν ἀδελφεὸν lateat, equidem nescio; nam Keckii πρὸς μοραγέτην κάσιν vocabulum non solum novum, sed etiam singulari et nimis obscuro acumine pro 'Peloponnesiorum duce' dictum praebet; cuius generis inventa scriptoribus inferre mihi quidem nimia audacia est. Sed utut de v. 557 statuendum est, duorum versuum insequentium restitutio satis docuit, non opus esse, ut cum Rit-

schelio v. 555 post 558 collocemus, quod addito 554 etiam Prienius et Keckius voluerunt, nec ut post v. 559 versum aliquem ex partibus nominis Polynicis compositum inseramus.

Quibus ne Dindorfius quidem accessit, sed eiecit vv. 565—567, locum gravitatis pulchritudinisque plenum et fortasse leniore medicina mendoso v. 565 adhibita sanandum. Quaeritur enim, quid in illo sibi velit μητρὸς πηγή? Scholiastes explicat: lacrumas. Tum vero plane necessarium fuisset, ut δακρύων vel ὀμμάτων accederet. Hermannus maternum fontem declarari voluit, quae ipsa mater sit, καταςβέσει autem imaginem occidendi esse. At iure Ritschelius oblocutus est, quod illud dicendum fuerit μητέρα πηγήν. Ipse autem Ritschelius vocem μητρὸς glossema esse putavit, quod pro τροφῆς irrepserit; quo restituto haec sententia efficeretur 'officia in parentes nullo iure tolluntur'. Tum vero sequentia seiungenda sunt, cum non possint inter se componi et comparari: 'ius patrium sacrum est', et 'patria abs te bello capta, tibi semper irascetur'. Itaque Ritschelius in priore sententia τὲ in δέ, quod libri in altero enuntiato habent, mutavit duoque argumenta iis contineri arbitratus est, quibus Polynicis bellum contra patriam et impium et demens esse dicatur. At tota ratio sententiarum componendarum nectendarumque ostendit, poetam comparationem per τὲ — τὲ indicatam (ut Agam. 307. 309 τὲ — καί) dedisse, praesertim cum mater optima et usitatissima patriae imago sit. Itaque in priore enuntiato sententia similis ei, quae in altera inest, sed per imaginem expressa quaerenda erit. Talis vero ex coniectura Seidleri etiam ab Hermanno laudata prodit, πληγὴν pro πηγὴν scribentis, ut iniuria patriae illata cum vulnere nefasto matris comparetur, quo etiam in Orestia Furias excitari legimus Eum. 106 ὅρα δὲ πληγὰς τάςδε καρδίας ὅθεν. Comparatio autem sic instituta: 'vulnus matri illatum nullum ius restinguet; ita patria abs te vastata numquam tibi ignoscet', sane non plane aequata est, sed in altero membro ius Poly-

nicis, quasi minoris momenti sit omittitur, contra, quid ex illo sacrilegio sit eventurum, clarius exprimitur.

In sexto vero regis responso Ritschelius plures versus eiecit, quos plerumque recte defendisse videtur Keckius. Ita cum Ritschelius duplicem comparationem 583—589 in unam contraxisset versibus 585—587 eiciendis, quod altera imago iusti viri cum urbe iniusta intereuntis et in naturam rerum et in rationem poeticam peccaret, Keckius utrumque iure negavit et voces ἄγρευμα et μάστιξ a Ritschelio ad naufragium relatas in Agamemnone aliquotiens de bello usurpari monuit. Equidem ne v. 591 quidem, quem Ritschelius ex proximis versibus misere corrasum pro sublimiore aliquo irrepsisse contendit, a simplicitate Aeschylea abhorrere existimo.

Contra Keckius ut iam antea Hartungius iniuria v. 582 revocavit, eumque ita cum antecedentibus coniunxit, ut scriberet καρπὸς οὐ κομιστέος ἄτης ἀρούρας θάνατος ἐκκαρπίζεται. At potestne ἄτης ἄρουρα nulla accuratiore definitione adiuncta idem declarare quam ὁμιλία κάκη? Tum accedit praeter pravum sententiarum nexum inusitata verbi ἐκκαρπίζεσθαι forma. Itaque versus erit γνώμη adscripta atque ob vocem θάνατος pro pernicie usurpatam, ut iam Dobraeus censuit, christiana ex verbis apostoli sumpta epist. ad Rom. 6, 23 τὰ γὰρ ὀψώνια τῆς ἁμαρτίας θάνατος.

Praeterea interpolatori iam pridem Dindorfius tribuit v. 594, qui non eiciendus, sed emendandus est; atque optimam emendationem videtur Heimsoethius suppeditasse, qui καμπὴν pro πομπὴν scripsit. Cur vero v. 604 a Dindorfio pro interpolato habitus sit, non assequor.

Iam ut ad lacunas transeam, Ritschelius, quem Keckius secutus est, versum excidisse putavit post 584, quo ad καὶ πανουργίᾳ τινὶ adiectivum vel participium cum ναύταισι coniunctum accesserit; quamquam maiorem probabilitatem fortasse habebit lectio codicum Par. K. L. ἐν πανουργίᾳ τινί; tum plurium versuum ante v. 606, simul v. 600 huc relato. Atque in v. 600 ex sua sede pellendo mihi quoque persuasit:

nec enim Amphiarao convenit, quippe qui nimis remotus sit Loxiae nomine intercedente, nec Phoebo, qui non silere, sed obscure loqui, non tempestiva, τὰ καίρια, sed vera vaticinari solebat. Quid? quod ne causa quidem ulla potest excogitari, cur vel Apollo vel Amphiaraus prudenter aut loqui aut tacere dicatur. Itaque versum, qui similibus verbis bis apud Aeschylum, Choeph. 576, frgm. 221, praeterea aliquotiens apud alios poetas legitur, a librario aliquo adscriptum fuisse censebimus. Nam quod Ritschelius laude illa Lasthenem ornavit, cuius modestia ab Eteocle loquacitati et vanis sermonibus Amphiarai opponeretur, mihi quidem longe alia videtur esse regis sententia de vate, quem v. 579 δίκαιον vocat, tum vv. 591. 592 haud ambigue praedicat. Neque vero inter vv. 605 et 606 aliquid desiderari, sed Eteoclem optime laudi fortitudinis Lasthenis finem imponere victoria ad deos referenda iam Heimsoethius observavit (Die indirecte Ueberlieferung des äschyleischen Textes. Nachtrag zur Schrift über die Wiederherstellung etc. p. 30).

Denique *septimum* par non minoribus criminibus tentatum est, quam praecedentia. Ritschelius v. 617 ex duobus versiculis contractum esse contendit: stultum enim votum, quo Polynices, ut fratrem interficiens ipse moriatur optet, ita esse mutandum, ut etiamsi ipsi moriendum sit, tamen se fratrem occidere velle dicat; praeterea minas gravissimas proprio enuntiato vindicandas esse. Itaque talem versum excidisse censuit σοὶ ξυμφέρεσθαί [φησιν αὐτουργῷ χερὶ] λελιμμένος] κτανεῖν σε καὶ θανὼν πέλας. At quod iam Keckius priori argumento opposuit, Polynices aut se cum fratre congressurum esse putat; quod si fiat, scit quidem utrumque caesum iri, sed vel ut ipse moriatur optat, dummodo illum occidat; aut fratrem pugnam detrectaturum seque victurum esse. Nexus vero sententiarum sane gravissime laborat; quo accedit, quod vv. 615. 616 non possunt coniungi cum verbo finito ἀρᾶται, quia inepte ex turribus castrorum Polynices rex nuntiaretur captamque gloriaretur urbem; ad votum

autem relati Polynicem optare faciunt, ut turres urbis ascendat, terrae rex nuntietur paeanemque captae urbi accinat, priusquam cum fratre manus conserat. Quare duo vota videntur esse distinguenda, alterum quod urbi, quam v. 613 solam commemorari iam Weilius animadvertit, pessima minans v. 616 voce ἐπεξιακχάσαι terminetur, alterum quod vv. 617—619 comprehensum versu ante hos versus supplendo adnuntietur in hunc fere modum: σοὶ δ' αὖτε δείν' ἐπεγχέας ἐπεύχεται.

In extremis autem verbis nuntii Ritschelius, cui Keckius accessit, praeposuit v. 631 versui 630, quod etiam Prienius fecerat, atque ut transitus esset a verbis Iustitiae ad eum versum, quo nuntius regem adhortaretur, ut adversarium mitteret, unum versum excidisse voluit talis sententiae: οὕτως ὁ τοῦδε κόμπος ἐς σὲ μαίνεται; cui alterum adicere Keckius coactus est, quod lacunam a Ritschelio supra notatam non concesserat. Dindorfius vv. 630. 631 eiecit versumque a se confictum in eorum locum recepit. Iam etiam in Ritschelii conformationem quadrat, quod Prienio opposuit Engerus, ex illa transpositione duplicem epilogum existere: alterum ultimae orationis de Polynice, alterum omnium; quam repetitionem intolerabilem esse nemo non videbit. Atque mihi quidem Aeschylus videtur consulto cavisse, ne nuntius regem de adversario fratris moneret et clausulam ultimae speculatoris orationis ut prooemium primae ad omnes retulisse. Itaque cum versum 631, quo eiecto omnia optime procedere videri possunt, confirmet Aristophanes, qui Avv. 1163 locum sic per ludibrium detorquet: σὺ δ' αὐτὸς ἤδη [τἄλλα δρᾶ], nihil restat, quam ut τίνα non ad adversarium Polynicis, sed ad omnes duces Thebanos referamus, quorum Eteocles nondum quemquam miserit. Recte vero videtur Ritschelius v. 633 verba σὺ δ' αὐτὸς γνῶθι non, ut Hermannus censuit, cum vi quadam repeti, sed interpolata credidisse ex v. 631, recteque tale aliquid, quale τὸ σὸν δ' οὖν ἐστι substituisse.

Contra in septimo regis responso omnia cum egregia

sunt, tum facile procedunt. Nam frustra Prienius et Dindorfius vv. 656. 657 abiecerunt, quod ἐχθρὸς ξὺν ἐχθρῷ στήσομαι ad antecedentia languide accederet; tum, quod Eteocles κνημῖδας, αἰχμῆς καὶ πτερῶν προβλήματα absurde vel, ut Dindorfio placuit, facetiis Falstaffio dignissimis vocavisset. A quibus criminibus locum egregie defendit Ritschelius: illud ἐχθρὸς κ. τ. λ. fortissime opponi verbis praecedentibus, quibus Eteocles exclamaverit, se principem cum principe, fratrem cum fratre congressurum esse; alterum autem versum arma describentem iam ab Hermanno emendatum per exempla ex monumentis artis petita illustrari; denique regem armis poscendis brevissime et certissime significare consilium fraternae caedis patrandae.

Iam septem orationum paria hos numeros continent hasque in partes dividuntur:

I *a*: 22 = 2. 3, 4. 3, 4. 4. 2.
b: 20 = 3. 3, 4. 5. 4½, ½.
II *a*: 15 = 1. 4. 3, 2. 3. 2.
b: 15 = 1. 2. 4. 3. 4, 1.
III *a*: 15 = 4. 4. 5. 2.
b: 9 = 3. 2, 1, 2. 1.
IIII *a*: 15 = 3. 2, 4. 2. 2. 2.
b: 15 (libri 20) = 3. 3. 2, 1, 4. 2.
V *a*: 24 = ½. ½ 2. 2, 1½. ½ 1, 2, 2. 7. 2½. ½ 2.
b: 14 (ll. 13) = 4. 3, 4. 2½. ½.
VI *a*: 28 (ll. 29) = 2, 5. 3½. ½, 4, 3. 2, 1. 2, 3, 2.
b: 27 (ll. 29) = 4. 3, 4, 6. 4, 5, 1.
VII *a*: 23 (ll. 22) = 3, 2. 4, 3. 2, 2, 3. 4.
b: 24 = 3. 2. 2, 2. 2, 4. 2, 2. 3½. ½ 1.

Itaque primum par duobus versibus, sextum septimumque singulis differunt, maiore autem intervallo tertium et quintum; numeri partium vero ne in altero quidem et quarto conveniunt, quorum tota singularum orationum corpora inter se respondent. Sed de hoc ultimo genere periodorum iam in universum dicam.

3. In *sententiarum* igitur, ex quibus singulae orationes constant *responsione* iudicanda haud exigua opera danda est, ne rebus plane diversis confundendis aequabilitatem non agnoscamus, sed obtrudamus. Nam cum incisiones argumento effectae non omnes eiusdem sint momenti, sed singula enuntiata plures partes contineant, plura enuntiata autem in singulas periodos coniungi possint, consentaneum est, poetam, si numeros inter se respondentes comprehendere voluisset, periodos rhetoricas eiusdem generis inter se oppositurum fuisse. Unde sequitur *unicuique incisioni suum pondus tribuendum esse;* id quod et Weilius neglexit, ut infra pluribus demonstrabo, et Keckius, qui illi in universum adversatus est, singula vero exempla etiam monologorum aequabiliter divisorum concessit. Itaque cum contenderet Suppl. 162—189 (28) ex his periodis constare 2. 6. 6. 1. 6. 6. 1, eamque aequabilitatem eo clarius expressam esse, quod singulares illi duo versus sententias in universum dictas continerent, non vidit singularum incisionum vi spectata hos potius numeros existere: 2. 2. 2, 2, 2. 2, 2. 1. 6. 3, 3. 1.

Iam si proficiscimur ab iis periodis, quae *ipsarum rerum oppositione* comparantur et in his quidem a minimis, profecto occurrunt aliquot exempla enuntiatorum antitheticorum paribus numeris comprehensorum. Ita in prologo Agamemnonis vv. 12—19 duabus ex partibus compositi sunt, quarum utraque bina disticha comprehendit; vel Agam. 541—544 in molestiis belli Troiani describendis praeco hiemem et aestatem binis versibus componit; vel denique Suppl. 426—431 recte videtur Hermannus restituisse ‘duplicem comparationem utramque tribus versibus, utramque consimili ordine et forma sententiarum’. Alia deinde exempla extant Agam. 1277=1278, Choeph. 255. 256=257. 258, 565. 566=567. 568, 838=839.

Accedit autem ad oppositionem *repetitio*, qua in Choephoris somnium Clytaemnestrae a choro vv. 521. 523. 525

527. 529 enarratum ab Oreste totidem iisque valde similibus versibus 537—541 iteratur; id quod Weilius perspexit.

Attamen *non semper antithetica ratio sententiarum aequo numero versuum exprimitur*, ut Sept. 583—585, 586—589 duas comparationes, priorem tribus, alteram quatuor versibus comprehensam, 565—567 autem comparationem unius, explicationem duorum versuum compositas vidimus.

Sed maius est, quod *aequabilitas illa in corporibus minoris ambitus se continet*, in orationibus autem maioribus partitione argumenti quam clarissima divisis omnino non apparet. Cuius discrepantiae exemplum afferam ex Prometheo, ubi beneficia erga homines vv. 437—508 describuntur duabus orationibus, priore 36, altera 31 versuum; nam in altera quidem lacunam ab Hermanno notatam v. 496 Heimsoethius recte videtur transpositione χολῆς τε ποικίλην λοβοῦ τ'εὐμορφίαν effugisse. Singula igitur beneficia his numeris describuntur: 437—447 (11 vel 3. 2. 4. 2) prooemium, 448—454 (7 vel 5, 2) de aedificatione tradita, 455—459 (5) de coeli signis explicatis, 460—462 (3) de numerandi scribendique artibus, 463—467 (5) de equis bobusque domitis, 468. 469 (2) de navibus inventis, 470—472 (3) epilogus. Tum 477. 478 (2) prooemium, 479—484 (6) de medicina, 485—493 (9 vel 3½, ½ 5) de divinatione, 494—501 (7 vel 3, 2½, ½1) de haruspicina et de auguriis ex fulminibus perceptis, 502—506 (5 vel ½, ½3, 1) de metallis, 508. 509 epilogus. Itaque ut numeros nudos componam, duae orationes constant ex 11. 7. 5. 3. 5. 2. 3 et 2. 6. 9. 7. 5. 2.

Verum simili loco Weilius, cui deinde Keckius accessit, responsionem vindicavit: enumerandis stationibus, per quas Troiam captam esse signis ignium Argos nuntiatum sit Agam. 266—301. Primo enim et ultimis duobus versibus absectis et duorum versuum lacuna post v. 270 indicata has periodos effecit: 4, 2 versuum supplendorum, 4. 4, 2, 4.

5. 5. 5. At primum lacuna illa duorum versuum incertissima est. Nititur enim praeter pravum sententiarum nexum, quem tamen Hermannus satis commode restituit, in glossa Hesychii ex auctore non nominato sumpta προςαιθρίζουσα πόμπιμον φλόγα · ποιοῦσα τὴν φλόγα ἀναπέμπεσθαι πρὸς τὸν αἰθέρα, quam Dindorfius ad hanc ignium enarrationem retulit. Is quidem glossam in v. 286 pro verbis πλέον καίουσα τῶν εἰρημένων recepit; quae tamen a simplicitate Aeschylea non absona esse iam alii contenderunt, neque equidem perspicio, quomodo illorum interpretatio fuisse possint. Sed etiam Weilius falsus est; nam verba illa in eo loco, in quo inseruit non desiderantur, imo non solum poeta in vi facis in Atho accensae iam 4 versibus (271—274) praedicanda, si duo versus praemisisset, nimis immoraretur, sed etiam eundem effectum duabus rationibus inter se valde similibus laudaret, si flammam et ad aetherem pervenire et mare transsilire diceret. Neque maiore probabilitate Ahrensius (Philol. 1860 Supplem. I. p. 487) illam laudem primae stationi, quae praeter omnem aequabilitatem nude nominaretur addictam inter vv. 268 et 269 inseruit; nam quae seiunxit Ἑρμαῖον λέπας | Λήμνου inter se optime cohaerent, contra quae composuit Λήμνου . . ἐκ νήσου artificiosius collocata essent. Rectius quidem Heimsoethius post Λήμνου locum esse intellexit glossae, cui in fine πεύκης adiecit. Equidem tamen dubito, an illa glossa huc, an omnino ad Aeschylum pertineat. πόμπιμος enim non solum mittentem et prosequentem, quae notio et Sept. 352. 833 extat et in hoc loco ab iis, qui glossam receperunt requiri videtur, sed etiam missum declarat, ut ipse Hesychius sine dubio ex scholiorum ad eum locum, quem excerpsit adscriptorum interpretatione explicat. Itaque πόμπιμος hic de flamma ad coelum emissa dicitur, quemadmodum προπέμπει de cinere fumum exhalante legimus Agam. 787. Ea autem interpretatione probata non est, cur verba in hoc Aeschyli loco inserenda putemus. Tum vero si rationem a Weilio institutam sequentes inter se opponimus nu-

meros, qui unicuique stationi tribuantur, in periodis non illam Weilii aequabilitatem, sed potius hanc distributionem nanciscemur: 266—301 = 1. 1½. I½ ½. II½ 5. III 4. IIII 6. V 5. VI 5. VII 2. — 3. 2.

Sed cum orationes ipso argumento divisae non aequabiliter procedant, aliarum *partes nullo modo inter se oppositas numeris respondere videmus.* Quam tamen aequabilitatem ne nimis cupide ex consilio poetae explicemus, satis monent aliae orationes, quae argumento locoque proxime coniunctae aequabilitatem illam non admittunt. Ita enim in Supplicibus post vv. 421—436 ex his numeris constantes: 5. 3, 3. 5. proxime sequitur oratio (451—473) sic distribuenda: 2, 2. 2, 2, 2. 2. 7. 3, 1; vel vv. 589—608 quidem ita dividuntur: 2, 2. 6. 6. 2, 2; contra vv. 680—703: 3. 1½. ½ 4. 2, 3. 2, 1, 2, 1. 2, 2.

Sed ne causa quidem deest, qua *aequabilitatem illam sententiarum explicemus.* Nam progressus singulorum enuntiatorum apud Aeschylum tam placidus est, tam constans, tam simplex, ut facile extare potuerint numeri respondentes. Plerumque enim enuntiata in fine versuum desinunt, quamquam interdum vel ipsius varietatis causa in medio versu inciditur. Quos locos qui ita ad aequabilitatem reducere voluit, ut verba in insequentem versum translata partibus sententiarum in carminibus lyricis in stropham insequentem reiectis aequipararet, Weilius non recogitavit, quam diversa sit conditio poesis lyricae finem periodi clausula metrica quam clarissime indicantis.

Itaque, ut breviter comprehendam, quae exposui de singularum sententiarum compositione, aequabilitatem earum orationum, quarum res non respondeant, casu extitisse, locorum vero ex sententiis antitheticis constantium maiores non respondere, minores autem non metrica quadam, sed rhetorica aequabilitate aequatos esse vidimus.

Iam postquam omnes locos enumeravi, qui responsiones numerorum exhibeant vel exhibere videri possint, fortasse aliquis quaerat, quomodo factum sit, ut cum equidem post alios pauca exempla aequabilitatis eaque praeter trimetros singulares carminibus strophicis admixtos omnia cum personarum oppositione coniuncta invenerim, Weilio contigerit, ut toti diverbio aequabilitatem vindicaret. Etenim longe aliam viam ille ingressus primum aequavit, quae ante eum pro diversissimis habita erant omniaque metra diverbii inter se respondere fecit, trimetros iambicos, dimidias partes tetrametrorum trochaicorum, dimetros monometrosque anapaesticos, interiectiones cuiusvis ambitus. Tum confusis personarum partibus periodos quaesivit in argumenti progressu, in sententiarum finibus; sed ne interpunctioni quidem suam cuique vim tribuens, minorem maiori, prout ex re erat aequiparavit. Ex his igitur particulis periodos systemataque composuit comparatis inter se, quae aliis metris scripta, aliter personarum vicibus distincta essent, dum modo numeris congruerent. Etenim falso contendit responsiones systematum artificiosa variaque forma non minus quam ingentibus numeris insignium saepe rerum, saepe etiam vocabulorum similitudine significari. Nam quamquam apud Aeschylum voces locutionesque tam frequenter iterantur, ut primo quidem adspectu arridere possit Weilii opinio, eas repetitiones in periodis numerorum significandis ex usu fuisse: tamen accuratius inquirenti clarissime apparebit rationem scribendi Aeschyleam simul tam singularem propriamque atque tam simplicem et incomptam esse, ut non solum non curet vocum locutionumque repetitionem evitare, sed nonnunquam illas animo quasi inculcare velle videatur. Itaque etiam in carminibus et in trimetris cum carminibus implicatis ideoque aequabilitate adstrictis saepe quidem in eisdem locis periodorum respondentium eadem verba iterari videmus, sed multo frequentius in diversis locis vel in periodis nulla responsione coniunctis, velut, ne ultra trimetrorum responsiones

progrediar θάρσει Suppl. 702. 710, ὑπνώσσεις Eum. 124. 127, λόγος Sept. 202. 208, οὐκ ἔτ' ἂν μείναιμ' ἐγώ Choeph. 1047. 1059. Quae satis probant, nihil nisi negligentiam quandam quaerendam esse in verbis locutionibusque, quae in diverbio iterari videamus iniuriaque Weilium responsionum signa inde petiisse. Sed ille ne satis quidem cavit, quin minimis eius generis indiciis confideret, locos autem aperte inter se conferendos praeteriret, velut in prologo Agamemnonis, ubi vocem γένοιτο v. 20 et v. 34, sed loco diverso collocatam responsionem indicare voluit, neglexit ἀπαλλαγή(ν) πόνων v. 20 et v. 1. positam; itemque veram aequabilitatem praetermittere coactus est ob numerorum compositionem antitheticam toti diverbio vindicandam in versibus illis quinque chori de somnio Clytaemnestrae Choeph. 521. 523. 525. 527. 529 ab Oreste vv. 537—541 repetitis, quos priore loco periodo antitheticae, altero mesodicae adscripsit.

Sed clarius *exempla* docebunt, quid de placitis istis iudicandum sit. Utar igitur tribus locis, quibus Weilius quasi firmissimis testimoniis usus est; sed cum ex primo partem tantum promserit, mihi potius totus locus dispositione praeclara aptissimus videtur, ex quo, an partes argumenti explicatione definitae numeris respondeant cognoscatur.

Itaque in *enarratione pugnae Salaminiae Pers. 285—526* relatio nuntii Atossae quaestionibus et lamentationibus cincta, si secernas, qui universae praemittuntur vv. 285 – 290 (6), et quod sequentem fabulam spectat consilium sacrorum faciundorum 516—526 (11), duas habet partes: quarum priore vv. 291—344 (54) I. de Xerxe sospite et de mortuis ducibus vv. 291—327 (37), II. de numero navium 328—341 (14), III. de Athenis servatis 342—344 (3) summatim exponitur; altera 345—515 (171) enarratur IV. pugna Salaminia 345—429 (85), V. strages Psyttaleae commissa et fuga Xerxis 430—472 (43), VI. fuga exercitus 473—515 (43). Quarum partium ex argumenti progressu indicatarum numeri non conveniunt. Quaerit autem Atossa vel sin-

gulis versibus 343 et 441, vel duobus 473. 474, vel tribus 291—293, 345—347, 433—435, vel denique quatuor 328—331; respondet nuntius 294 (1), 297—325 (29), 332—339 (8), 344 (1), 348—427 (80), 436—439 (4), 442—466 (25), 475—509 (35), sed Athenas servatas esse primus commemorat 342 (1), et de clade Psyttaleensi ipse incipit dicere 430—432 (3). A singulis autem narrationis partibus secerni possunt, quae nuntius in cuiusque fine addit; post duces mortuos, 'horum quidem se meminisse, sed ex multis malis pauca referre' vv. 324. 325 (2), numero navium exposito quaerit, an hac ex parte inferiores fuisse videantur 339 (1), ad cladem Salaminiam adicit, 'stragem maiorem esse, quam quae decem diebus enarrari possit, omnium proeliorum cruentissimum' 424—427 (4), cladem Psyttaleensem narrandam et incipit 430—432 (3) et finit 465. 466 (½ 1) sic, ut ad priores illam maiorem accedere dicat. Omnibus finem facit more nuntiorum affirmans se vera dixisse addensque vel multa se omisisse 507. 508 (2). Deinde semper Atossa suam sententiam de rebus nuntiatis adiungit plerumque duobus versiculis inclusam: primam laetam illi, qui unus gravissimus Xerxem servatum esse adfirmaverat, vv. 295. 296. (2), tum miserantes ter binis 326. 327, 340. 341, 428. 429, ter singulis 440. 467. 512, atque horum quidem postremorum alteri loco de Marathone 468—474 (7), tertio de somniis mentionem adicit 513—515 (3), praeiverat autem chorus in ultimo loco duobus versibus 510. 511 eiulans.

Vides in summarum rerum dispositione simplicitati dignitati perspicuitati aeque consulente omnium singularum partium numeros, quamvis similes sint et maxime quidem in minoribus illis particulis, tamen variari. Accedit, quod repetitio sententiarum vocumque, qua quis fortasse aequabilitatem periodorum restitui posse putaverit omni responsioni plane repugnat. Ita enim Atossa vocibus οἲ 'γὼ τάλαινα et narrationem de clade Psyttaleensi (V.) interrumpit 440, et ultimam lamentationem incipit (VI.) 512. Illi narrationi (V.) cum sub-

iciat ὦ στυγνὲ δαῖμον 467, chorus in fine totius relationis eiulat ὦ δυςπόνητε δαῖμον 510. Ob duces mortuos enumeratos (II.) Atossa exclamavit, 'haec esse summa mala et querelarum causas Persis', unde verba αἰαῖ κακῶν δὴ . . Πέρσαις vv. 326. 327. in eis versibus repetuntur, qui nuntium de clade Salaminia narrantem (IV.) excipiunt v. 428; ex quo loco alia verba πρόπαντι . . γένει iterantur a choro 511 (VI.) Ita denique in quaerendo Atossa λέξον 290 (I.), 434 (V.), φράσον 328 (II.), 345 (IIII.).

Quod autem ad aequabilem partitionem longiorum sermonum pertinet, sane in enumerandis ducibus mortuis responsio quaedam exstare videri potest 297—323: 2, 2, 2. 3, 3. 4, 2. 3, 3, 3; sed in tali argumento aequabilitatem facilius admittas quam effugias. Etiam in copiis navalibus enumerandis aequus numerus versuum Graecis et Persis tribuitur: 333—335 (½2) et 336—338 (2½), sed ut in medio versu incipiat altera pars, altera finiatur. In ipsis vero rebus gestis enarrandis nulla apparet responsio; nam 80 vv. de ipsa pugna a v. 348 ex his numeris constant: 2. 2, 4. 3, 5, 3. 2. 3. 4 (ἐπεί), 3. 2. 10 (ἐπεί). 3 (εὐθὺς δέ), 7, 2. 4 (εὐθὺς δέ). 5, 7, 5. 4; 25 de clade Psyttaleensi a v. 442: 3. 4½, ½4½, ½2, 3. 3. 2½. ½1; 35 vv. a v. 475 de fuga exercitus: 2. 6, 4. 5½, ½2. 2, 2, 4. 3½, ½1. 2.

Weilius enim vero partem quandam ex descriptione pugnae Salaminiae excerptam vv. 359—402 aequabilitate adstrinxit, sed ut quattuor corporum, quorum primum et tertium sint 10 vv., alterum et quartum 12 vv., primum non recte a praecedentibus divelleret, tum ut distinctionem sententiis verbisque indicatam prorsus neglegeret.

Sed vel audacius divisionem quam clarissime indicatam relinquere ausus est Weilius *Agam. 1137—1290*, ubi Cassandra cum choro, ut mos est, commi praecedentis argumentum tranquille et perspicue tractat. Quod colloquium in tres partes dividitur tribus longioribus orationibus Cassandrae, quarum unicuique quattuor chori versus, deinde locus

stichomythicus subicitur; toti autem scaenae finem facit quarta maior ῥῆσις virginis fatidicae, uno versu chori interpellata. Divisioni autem formae convenit, ut par est, praeclarissima dispositio argumenti, qua, quod Weilius animadvertit vaticinia eodem ordine procedunt quam lyrica praemissa. Nam Cassandra primum vetera domus Pelopidarum mala suamque artem vaticinandi tangit, dein novis furoribus correpta ad Agamemnonis caedem, postremo loco iterum divino instinctu tacta ad suum ipsius fatum transit, quo simul cum ultione sibi speranda enuntiato domum intrat. Quae partes egregie distinctae numeris minime aequabilibus comprehenduntur:

I: 1137—1172 (36):	K. 20 (2, 4. 2. 2, 3, 3. 1, 1, 2). X. 4. (1. 1) × 6.
II: 1173—1214 (42):	K. 28 (interi., 2. 2, 4. 4. 4. 7, 1. 3). X. 4. (1. 1) × 5.
III: 1215—1290 (76):	K. 39 (2. 6. 2, 1, 2. 4. 2, 2, 2. 1, 2, 2, 2. 4, 1. 4.) X. 4. (K. 1. X. 1) × 4. K. int. X. 1. (1. 1) × 2. K. 8 (2. int., 5.) X. 1. K. 10 (6, 4).

Unde igitur Weilius responsiones suas nactus est? Primum neglexit divisionem et rebus et forma colloquii apertissime indicatam alteramque partem a v. 1207, quartam quandam a v. 1265 incipere fecit; scilicet ante quos versus pausas actionis dramaticae sibi invenire visus est; cum mihi potius uterque versus et sensu et verbis (ἀλλὰ et τί δ'ἐστὶ χρῆμα) arctissime cum superioribus conexus esse videatur. Tum non minus peccavit in singulis partibus orationum distribuendis, velut cum v. 1238 argumento et verbis (οὐ μήν) aeque a praecedentibus distinctum cum illis coniungeret novamque partem inciperet a. v. 1236. Deinde in omnibus, quas inter se opposuit periodis una excepta nihil nisi numeros versuum habuit, quos rebus saepe personarumque vicibus plane diversis inter se respondere contenderet. Illa autem, quam tam confidenter protulit responsio est quinorum

versuum a v. 1223 et a v. 1245 incipientium. At ne dicam priorem quinionem cum sequentibus arcte coniungendum esse, mihi quidem praeter illud τί δῆτ' nihil utrique loco commune videtur esse, nec ille quidquam indicavit; repetitio vero verborum aeque praeclara in prima Cassandrae oratione exstat καὶ μήν 1137 et 1147, ubi tamen ne viginti versus ex duobus denionibus constare dicas, defendit singularum partium distributio supra indicata.

Tertium exemplum erit *iudicium Orestis Eum. 555—769*, in quo tractando Weilius minus peccavit divisione rerum dictorumque neglegenda, (nam cum ipsum argumentum quandam vitae speciem varietate et celeritate exprimi postularet, fines partium non tanta perspicuitate notati sunt, quam in locis supra explicatis;) sed audacissime versatus est in tradita lectione tractanda. Sed prius quam ad inventa eius transeam, ipse numeros singularum partium proponam:

1) 555—574 (20) institutio rei: Minerva primum silentium facit, tum postquam Apollo, cur venerit, rogatus est et respondit, chorum rem docere iubet Ἀθ. 9 (4, 5). X. 2. Ἀπ. 6 (3, 1½. ½ 1). Ἀθ. 3.

2) 575—672 (98) interrogatio: *a)* Orestis de re X. 3 (1, 1, 1). Ὀ. 1. (X. 1. Ὀ. 1) × 9. X. 2. Ὀ. 5 (2, 3). *b)* Apollinis de iure Ἀπ. 8 (2, 3, 3). X. 3. Ἀπ. 16 (2, 2, 2, 6. 2, 2). X. 4 (1, 1, 1. 1). Ἀπ. 8 (3, 2, 3). X. 5 (1, 2, 2). Ἀπ. 18 (1, 2, 2. 1, 5, 7). *c)* conclusio: Minerva altercationi finem imponit, Furiae post minacia aliquot verba conticescunt Ἀθ. 2. X. 2. Ἀθ. 1. X. 2.

3) 673—745 (73) iudicium: *a)* instituitur Areopagus Ἀθ. 30 (2. 3, 2. 5½, ½ 5. 4. 4. 4). *b)* suffragia feruntur (X. 2. Ἀθ. 2) × 5. X. 3. Ἀθ. 10 (2, 3, 2, 1. 2). *c)* tabellae dirimuntur et iudicium promulgatur (Ὀ. 1. X. 1) × 2. Ἀπ. 4. Ἀθ. 2.

4) 746—769 (24) gratiae Orestis 24 (2½, ½ 5. 5. 5, 3. 3.)

Iam Weilius septem partes easque inter se nulla responsione coniunctas distinguit has: I.—563, II.—603, III.—

665, IV.—672 (secundum schema in fine fabulae), V.—702, VI.—745, VII.—769. I. et IV. partes responsione liberas proodos esse voluit sequentium, cum tamen non minus a prima altercatione secernenda sint, quae ei praecedant verba inter Furias et Apollinem distributa quaeque Minerva praemittat. Tum interrogationem Orestis (II.) ita in maiorem aequabilitatem adduxit, ut a prima oratione Furiarum ultimum versum secerneret et alteri choreutae, reliqua autem singulis reliquis tribueret. At cur ex tribus illis versibus 575—577, qui omnes tres interpunctione definiuntur, unus tantum abscindatur? nam alter iam ad Orestem dictus est; deinde haec distributio in duodecim, non in quindecim choreutas quadrat. Sed manifestius etiam erravit Weilius in altercatione chori et Apollinis (III.) restituenda, ubi praeter morem suum singulas orationes inter se opposuit et dicta chori mesodice, Apollinis autem orationem primam cum tertia, alteram cum quarta respondere voluit his numeris:

'Aπ. 8. X. 5. 16. 3. 8. 5. 16.

Quam responsionem ut efficeret, primae orationi chori versum 634 alteri detractum praeposuit, subiecit autem lacunam unius versiculi, scilicet qui ex analogia sequentis orationis desideraretur, ut Furiae sibi ipsam repugnare dicerent sententiam Apollinis. At eiusmodi conclusio poterat quidem addi, sed minime desideratur, cum ipsa quaestio discrepantiam illam satis aperiat. Minus etiam prospere cessit Weilio, quod versum 634 ante v. 612 transposuit; non enim praepostere, sed aptissime Furiae iudices monent, ut attendant memoriaque retineant repugnantiam, quam illae in Apollinis verbis sibi videntur coarguisse. Orationes autem Apollinis ut aequaret, Weilius adscivit argumentum interpolationis, cui plerumque adversatur, eiecitque vv. 659—665, quod in Areopago non licuerit ἔξω τοῦ πράγματος λέγειν neque Furiae promissa Apollinis praetermissurae fuerint quin minis evincerent. Quid vero? Nonne minantur

Furiae et vehementissime quidem, dum tabellae iniciuntur? Quod autem illic Apollo minis earum nullum opponit promissum, satis excusat Furias in nostro loco nullas minas proferentes. Sed ne interpolationis quidem argumento probato numeri recte se haberent, quos Weilius contendit quinque versibus augendos esse ob numerorum rationem, plane nulla alia de causa. Quartam deinde partem non minus perturbavit, versibus 671. 672 Apollini tributis et cum vv. 668. 669 sedes permutare iussis: tum enim plane non perspicitur, cur Minerva Furias roget, quomodo illis satisfacere possit, cum in tradito ordine causam aptissimam praebeant praecedentes minae Furiarum. Jam quod quintam partem attinet, Weilius in Minervae oratione Hermanni transpositionem vv. 675—677 non recepit, tum male novam periodum incipere fecit ex v. 691 aperte cum praecedentibus cohaerente. Deinde in sexta quomodo biniones inter Apollinem et chorum distributos tractaverit, supra vidimus. Sed vix credi potest, quibus rationibus usus sit, ut veram loci aequabilitatem, qua ratio stichomythica maiore numero terminatur deleret restitueretque numeros pares, sed prorsus impariter distributos: post v. 725 enim, quo ni egregie fallor omnes sentiunt colloquium inter Furias Apollinemque finiri, inseruit unum versum Apollinis urnas inverti iubentis: qualem versum praecessisse satis declararent Minervae verba ἐμὸν τόδ' ἔργον. Non igitur sensit vir acutissimus, quam indignum tragico imprimis Aeschylo sit, deum a dea, fratrem a sorore reprehendi facere, quasi haec timeret, ne honos debitus sibi praeriperetur. Verum omnino illud ἔργον non est urnas inverti iubere, sed ultimum idque gravissimum suffragium ferre. Aliquanto sane maiorem speciem habet aliud exemplum aequabilitatis, quod Weilius in proximis sibi invenit. Duodecim enim versus 734—745 ex bis senis constare: sex priores pronuntiari, dum calculi eiciantur, alteros, dum numerentur: Minervam in utraque parte duos versus proferre, reliquos quatuor in priore inter Orestem et chorum

stichomythica ratione distribui, in altera coniunctos Apollini dari. Equidem vero ut stichomythiam ipso argumento procreatam, ipsis verbis (ὦ 736. 737) indicatam concedam, ceteros versus cur consulto inter se oppositos credam, nullam causam video. Denique in septima parte Weilius vv. 759—766 interpolatori tribuit, Dindorfium secutus, quem tamen ob vv. 678—694 damnatos rectissime refellerat; neque vero in hoc loco mirabimur pluribus verbis tractari foedus Argivorum, quod aeque atque Areopagi potestatem in fabula sua commendandum sibi proposuerit poeta.

Sed iam satis puto apparere, quanta abiciendi supplendi transponendi audacia Weilio opus fuerit ad aequabilitatem suam restituendam, tum, quod gravius est, quanta libidine in periodis definiendis comparandisque; ut quivis concedat, exaedificationem dignam esse fundamentis. De quibus nihil amplius addam, quippe quae iam ii ipsi castigaverunt, qui in singulis locis fortasse nimis cupide quaesiverunt aequabilitatem, Keckius in dissertatione aliquotiens commemorata et Ribbeckius (Neues Schweizerisches Museum 1860 I. Jahrgang 4. Doppelh.)

ERNESTI MARTINI VITA

Natus sum Ienae a. d. III. Non. Mai. anni MDCCCXLI patre Eduardo professore tum academiae Ienensis, nunc Berolinensis, matre Maria e gente Schmidiana, quos ambos adhuc vivere maxumo opere gaudeo. Fidei addictus sum evangelicae. Primis litterarum elementis in schola Stoi imbutus puer fere octo annorum deductus sum in domum avunculi amore atque veneratione mea aeque dignissimi Ottonis Schmidii Dr. phil. tum Soeterni in vico Birkenfeldensi, nunc Obersteini ad Nahani et praedicatoris munere fungentis et pueris educandis instituendisque deditì. Anno h. s. LV in gymnasium Isenacense, quod Funkhaenelio rectore floret, receptus sum. Deinde vere a. MDCCCLVIII maturitatis testimonio instructus universitatem Ienensem adii, ut philologiae operam navarem; unde post tria semestria in academiam Berolinensem me contuli, cuius praeter hiemem superiorem, quam Bonnae egi, usque ad hoc tempus civis fui. Ienae docentes audivi Droysenum Fischerum Goettlingium Nipperdeium Schleicherum Schleidenum M. Schmidtium, Berolini Boeckhium Dovium Droysenum Friedrichsium Hauptium Iordanum Muellenhoffium Trendelenburgium Waagenum Weberum, Bonnae Heimsoethium Iahnium Ritschelium. Et Ienae et Berolini mihi contigit, ut in seminarium philologicum reciperer; praeterea Ienae Droyseni exercitationibus historicis, Berolini Muellenhoffii germanicis, Trendelenburgii philosophis interfui. Qui viri clarissimi omnes quantum et doctrina et humanitate de me meriti sint, numquam desinam cum memori animo sentire, tum palam profiteri.